
PHILYRA
ad
AUREÆ BULLÆ
Tit. V.

hinc inde collecta.

Quam



Dei Virginisq; filij augurio atque præsidio,

AMPLISS. JCTORUM ORDINIS,
quem inclyta Argentina fovet,
decreto,

Solenniter examinandam propono

GEORGIUS Lehman
Stolpâ-Pomeran.

Licentiati titulum & privilegia in utroq; jure, consuetis solennibus publicè conferenda promeriturus.

Die 23. Decembr.



ARGENTORATI,

Excudebat PAULUS LEDERTZ, 60

M. DC. XXIV.

D. AUGUSTIN.

Multa sunt in omni opusculo, quæ justo judicio, & nullâ temeritate culpari possunt: nullusq; reprehensor formidandus est amatori veritatis.

EGO

Si quid hic secus, quàm oportuit, dictum est, veniam postulo; & si opere displiceo, saltem studio placeam: sit acceptum meum voluisse, si displicet, non potuisse.

PHILYRA

ad

AUREÆ BULLÆ

TIT. VTUM,

hinc inde collecta.

EXORDIUM.



Ugustissimos inter Heröas, quos Germania haut parum multos, ad Romani Imperii clavum, ab illo tempore, quo Carolus Magnus id ex Græciâ huc transtulit, collocavit, reperitur etiam Marchio Moraviæ, Joannis Lücelburgensis Bohemiæ Regis filius, quem bina sacramenta (Pontificiorum Catechesis ita docet) binominem reddiderunt. Genitor enim infantē recens in lucem hanc editum sacro regenerationis lavacro ablui, simulq; Wenceslai nomine insigniri fecit. Ast Carolus Galliæ Rex, cui modò memorati Regis Joannis soror nupserat, eundem puerum in aulâ suâ enutritum, aliquot annis post, confirmationis sacramento initiari, hat jhn firmen lassen / & Carolum, suo de nomine, appellari curavit: quod etiam semper usurpavit. Seth. Calvis. *Chronolog. in Impp. Austriac. ad ann.* 1315. *edit. Lips de anno* 1605. *fol.* 868. Christ. Lehman *Speyer. Chron. libr.* 7. *cap.* 34. Atque ita primùm Carolus dici non cœpit, cum Rex Roman. contra Ludovicum Bavarum eligeretur: uti sentire deprehendo Matt. Rümel. *A. B. diss.* 1. *th.* 3. *part.* 1. Neque Imperatoris nomen in creatione mutari, practica docet: ceu habent verba Rest. Castaldi *de Imperat. quæst.* 40. *n.* 1. Hodie CAROLUS IV. Imperatorum in catalogo inscribitur, quòd inter eos quartus hoc nomen gerat. Estque hic ille, cui patria nostra Auream Bullam, Romano-Germanici Imperii legem fundamentalem, acceptam ferre cogitur. Illam, ille condidit Illâ, ille quàm plurima, pacem publicam concernentia, commodissimè est complexus. Unde

est, quod vix aquâ, vix igni, pluribus in locis, quàm sanctione isthac utamur. Eâdem verò VIIvirorum Principum jura quoq; & privilegia comprehendit, eaq; non pauca, neq; vulgaria, & quæ cognoscere non tantùm utile est, sed etiam necessarium, teste Petr. Heig. *Iur. Civil. & Saxon. quæst. 4. n. 12. par. 1.*

Eaquè propter ego, dum materiæ in publicum solenneq; hoc prosceniũ nunc ad examinandũ productæ, otiũ meũ credere & inpédere volui, oleum atq; operam perdidisse, à quoquam, ut spero, dici non potero. Ante verò quam rem ipsam aggredior, præmonere cogor lectorem meum, maximè qui in hoc nimius, aut fermè totus est, ut omnia in quadrum ac quincuncem redigat, ne cubicam Dialecticorum dispositionem in his etiam, vario ex agro collectis, quærat aut expectet, nisi frustra esse velit. Idq; tamen non ideo, quòd Jurisprudentiæ dediti, Logicæ Magistros spernant, seq; illis, studiis gravioribus necdum mancipati, refingendos haut tradant: (plurimi ita de Apellis picturâ ultra crepidam hîc judicare consueverunt) verum, quod materiæ longè nobilissimæ interdum se adeò incurvati, illorumq; præceptis examussim adaptari reluctentur. Interim illos planè *ἀμαθεῖς* dicere quis audebit? Noverunt & illi, noveruntq; optimè, illud

Ordine pervenies, quo non datur ire labore.

Faciunt huc quæ habet War. ab Ehrenberg *meditam. pro fœderib. lib. 2. cap. 1. n. 1. & seqq.* Atque ut ordo, in hujus materiæ pertractatione à me observatus, primo intuitu cuivis constet, eum delineatum statim subnecto; eritq; talis.

Aureæ Bullæ textus in frusta aliquot dissecabitur, dissectus conclusionibus certis includetur: quibus singulis quæstionum, eò se redigi patientium series subjungetur: tandemq; operi plenè absoluto colophon superimponetur.

Plus autem quàm notissimum est, quòd homines protoplastorũ labe contaminati, haut quicquam efficere valeant,

Absq; Dijs: ne quidem pedis plantam sustollere,
Ac ne quidem aperire palpebrarum illustres circulos;
Sed ipsi gubernant, & dirigunt singula.

ut non minus justè quam venustè, tantùm non Christianè, canit Poëta Oppianus, laudatus à Christ. Besold. *Consil. polit. cap. 14. axiom. 51.* Unde opem pronâ mente cœlitus deposco, & dico verbis Aurel. Prudent. *lib. Cathemerin. hym. 3. in pr.*

O cruci-

O crucifer bone, lucisator
Omniparens, pie verbigena,
Edite corpore virgineo,
Sed prius ingenitus potens,
Astra, cœlum, mare quam fieret.
Huc nitido, precor, intuitu
Flecte salutiferam faciem,
Fronte serenus: & irradia,
Nominis ut sub honore tui,
Quod meditor, liceat facere.

RUBRICA

DE

JURE COMITIS PALATINI RHENI, ET ETIAM DUCIS SAXONIÆ.

NARRAT GUILIELMUS BRUSSIUS SCOTUS, Se, ut in Italia palatia & antiquitatum monumenta; in Gallia milites; in Hispania Præsules, in Anglia agricolas, in Polonia nobiles: ita in Germania Principes, omni laude & admiratione dignos, invenisse. Autor hic de Germaniâ, non vera sed verissima narrat. Invenit enim in ea Principes tales, de quibus Imp. Carolus V. (quo de verè scripsit, quicunq; scripsit,

CAROLE *mortales dubitant Homo sisnè, Deusvè?*
Sunt tua sceptra Hominis; sed tua facta Dei:)

dicere non dubitavit; se in Germania Regibus, ast aliis in regnis, servis atq; mancipiis imperitare.

Hos inter Heptarchæ sive VIIviri, qui Electores, & à nostratibus Churfürsten vocantur, habentur; desumpti ex Clericis & Laicis: & hi, ex omnibus dignitatum ordinibus; videlicet ex Regibus unus, ex Ducibus unus, ex Marchionibus unus, & ex Comitibus unus. Omnes comprehendi & includi solent hisce versiculis relatis à *gl. c. ad Apostolica. 2. sub fin. de sent. & re judic. in 6.*

Magna Moguntia, crassa Colonia, Treveris alma, 162
Atq; Palatinus dapifer, Dux portitor ensis,

Marchio præpositus Cameræ, Pincerna Bohemus,
Romanum Regem statuendi dant sibi legem.

vel,ut relati habentur atque leguntur apud Reit. Castald. *de Imperat. quæst.* 8. *n.* 7.

Moguntinus, Treverensis, Coloniensis,
Quilibet Imperij fit Cancellarius horum.
Atque Palatinus dapifer, dux portitor ensis,
Marchio præpositus Cameræ, pincerna Bohemus,
Hi statuunt Dominum cunctis per secula summum.

Et hoc generaliter longè lateq; esse publicum, ac quasi per totum orbem notoriè manifestum ait Imp. Carolus IV. *Aur. Bull. tit. 7. §. sanè generaliter.*

Electores hi, Imperatori, tanquam Numini, de rebus arduis consultanti assident, & quasi septem Planetæ in Zodiaco Imperii, statas officiorum periodos obeunt. Horum consilio & operâ fideli, Majestas Imperii nostri, maximis in tempestatibus ac tumultibus, hactenus salva tecta conservata stetit. Petr. Heig. *jur. Civil. & Saxon. quæst.* 3. *n* 2. *a* 1.1. Ideoq; post Imperatorem & Regem Romanorum in Imperio nostro supremam dignitatem meritò obtinent, Regn. Sixtin. *de Regal. libr.* 1. *cap.* 4. *n* 29. Meritòq; Regibus æquiparantur Warem. de Ehrenb. *Meditam pro fœderib. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 148. Quod D. Luthero Theologo quoque incognitum non fuit, dicenti: Die Churfürsten schreiben Königen Ewer Liebde/ vnd nicht Ewer Gnaden / dann sie seind Königen gleich geachtet. Tischreden *cap.* 38. *fol. m.* 489. Privilegiis etiam multis, iisq; augustis, præ cæteris Imperii Ordinibus beari jure optimo meruerunt; quemadmodum Carolina sanctio, loco non uno, luculenter manifestum facit. Quanquam & hoc vero sit conforme, quod Archiduces Austriacos, qui post Electores primas, & proximam à dexterà eorum sessionem tenent, in multis, non modò pares, sed etiam superiores habeant. Regn. Sixtin. *de Regalib. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 30.

Cæterũ, Electores inter ipsos quoq; reperiũtur, qui Coëlectorib. suis, quibusdam privilegiis & præeminentiis antestant. Duo, Comes Palatinus Rheni nimirum, & Saxoniæ Dux, se nobis hic offerunt; qui & simul reliquos quinq;, & seorsim, se invicem ipsos, quibusdam specialibus superant, Simul enim hoc habent, quòd, reliquis quinq; exclusis, Imperii, verè vel quasi vacantis administrationem, distinctis limitibus, suscipere queant. Seorsim verò Comes Palatinus Rheni, etiam

præ

præ Conprovisore suo, hoc habet, quod Imperatoris conventi judex, jam olim, solus constitui cœperit.

Et hoc est illud jus Comitis Palatini Rheni, & etiam Ducis Saxoniæ, cujus rubrica meminit; de quo pluribus, in præsentiarum, juxta ordinem promissum, dispiciendum erit.

TEXTUS.

QUoties insuper, ut præmittitur, sacrum vacare continget Imperium.

CONCL. I.

IMperium vacare, (a) sive ἀκέφαλον (b) esse dicitur, quoties Imperator vel vitæ hujus mimum commodè peregit: (c) vel Imperiali throno suâmet sponte cedit: (d) vel etiam sceptrum sibi concreditum retrotradere jubetur. (e)

(a) Vacare licet plures significationes admittat, attamen hic nihil aliud, quàm primario suo rectore orbatum esse, denotat. Ita Vacans mulier appellatur, quæ virum non habet, *l. qui cœtu. 5. § fin ibi gl. verb. qui vacantem. ff. ad L. Iul. de vi publ.* Vacantia bona eodem modo dicuntur illa, quæ ejus fuerunt, qui heredem uullum invenit. *§. res fisci. 6. ibi Harpr. n. 4. Instit. de Usucap. & longi temp. præscript. l. 1. C. de donat. int. vir. & uxor. l. 1. C. de bon vacant. & incorpor. lib.* 10. Facilè autem evenire potest, ut vacet, cum liberrimâ eligentium censurâ deferatur & conferatur: Compactat. Imp. Rudolph. II. cum in Reg. Roman. Ratisb. eligeret. *§. cum primis.* apud Melch. Goldast. *Polit. Imper. par. 12. tr.* 1. Secus se res habet in illo, quod certo sanguini destinatum est. Magis enim dilatatum, quàm mutatum videtur imperium, cum transit ad posteros; ceu Athalaricus Rex Senatui Urbis Romæ scribit apud Aurel. Cassiodor. variar. *lib* 8. *epist. 2.*

(b) Electores Regem Romanorum, in Cæsarem promovendum, designaturi; jurant, quòd Caput temporale Christiano populo eligere velint *A. B. tit. 2 § Ego N. Archiepiscopus.* Imò, männiglich ist bekandt/ das der Römische Kayser das oberste Weltliche Haupt der gantzen Christenheit sey/ ut scribit Georg. Sigism Seldus Consil. oder bedencken an Kayser Ferdinanden/ wie deß Bapsts Pii V. unbilligem anmas-

fen zu begegnen sey, *quæst.* 2. §. So findet man. *edit. Francfurt. de anno* 1611. *fol.* 48. Imperatore igitur sublato, Imperium ἀκέφαλον effici necesse est: *arg. c. nulla.* 8. *ibi gl. verb. acephalos. distinct.* 93. *fac. can. quidam.* 39. §. *acephali. caus.* 24. *q.* 3. *Auth. Idem est. C. de heret. & Manich.*

Interdum quidem Ordines Statusque Imperii etiam Christliche Häupter indigitantur: R. A. Nürnb. *de anno* 1572. §. Weiter nach dem unser. Verùm id, per quandam analogiam fit, habito respectu ad eorum subditos, inter quos ipsi sunt præcipui. Ad Imperatorem verò collati, membra sunt, & in territoriis suis, multa, propter justitiam, boniq; ordinis conservationem, facere prohibentur, quæ Imperator in Imperio toto facere potest. Horum quædam enumerat Theod. Reinking. *de Regim. Secul. & Eccles. lib.* 1. *cl.* 5 *cap.* 6. *n.* 101. *& seqq.*

De Ecclesia quid statuendum? eritne ἀκέφαλος quando Papa Romanus Româ penitus abire & ire cogitur, quò dives Tullus & Ancus, aut, quò Divus Paulus & Enoch? Qui pectora verâ pietate imbuta habent, negatum eunt. Etenim Christus solus, Papa verò nequaquam, Ecclesiæ suæ caput est. Ephes. 5. *v.* 23. Gregor. Tholos. *partit. jur. canon. lib.* 1. *tit.* 4. *cap.* 1. *n.* 3. *ibi gl. lit. g.* Privatio igitur ibi esse non poterit, ubi habitus nunquam fuit, *arg.* §. *se vis.* 3. *Instit. de injur. l. bovem.* 43. §. *pen. ibi* Gothofr. *lit. q. ff. de ædil. edicto & redhib. l. liberos.* 3. *ff. de cap. minut.* Nec qualitas probari potest, nisi prius substantia probetur Aym. Cravet. *cons.* 21. *n* 5 *par* 1.

(c) Augustissimi Imperatoris Augusti, viri, qui non immerito ex majori parte Deo similis est putatus, uti loquitur Eutrop. *Histor. Rom. lib.* 7. *fol. m.* 52. animam jamjam exhalaturi hæc fuere verba, si fidem meretur, ut meretur Sueton. *in Oct. Augusto cap.* 99.

Nemo autem dubitabit, quin hoc modo Imperium vacare incipiat, çum mors certissima *l.* 1. §. *dies.* 2. *ibi* Gothofr. *lit. l. ff. de condition. & demonstr.* omnia dissociet & dirimat. *Novell.* 22. *cap* 20. *in princip.* Multò verò minùs quis dubitabit, quin Imperator etiam mortis manui sit suppositus. Omnis caro fœnum est Esai. 40 *vers.* 6. Omnis caro pulvis est, & in pulverem commutabitur. Genes. 3. *v.* 19. Omnes nascimur pares, morimur pares: licet dum vivimus, impares dignitatibus & opibus simus: impares, post mortem, præmiis & pœnis. Carol. Scriban. *Polit. Christ. lib.* 1. *cap.* 10. Corpus hoc, sub quâcunque purpurâ sudaverit, arescet in pulverem: sub quacun-

que

que gemmâ suspiraverit, tenuabitur in cinerem: sub quocunque odore spiraverit, in putorem laxabitur. Idem, sub nomine Clari Bonarsc. *Amphith. honor. lib. 2. cap. 1. §. ab his virtutem.*

Maximoperè interim dolendum, Imperatorum partem non minimam, haut naturaliter, hoc est, ægritudine præambula, Thom. Act. *de privileg. infirmit. par. 1. cap. 10. num. 13.* sed violenter extingui. Ecce enim ab Augusto ad Constantinum Magn. quadraginta tres numerantur, ex quibus vix decem sunt, quos filius, aut frater, aut uxor, aut amicus, ferro, veneno, laqueovè non interemerit. Georg. Költerer apud Illustriss. Frid. Achill. Duc. Würtenb. Consultat. *de Princip. Provinc. Europ. Orat. cont. Ital. fol. 787. lin. 16. & seqq.* Alb. Gentil. *de Arm. Roman. lib. 1. cap. 11.*

Galliæ Reges, tamen ab hac communi moriendi lege excipi videntur. Nemo enim nescire potest pervulgatum illud: Galliæ Reges non moriuntur. Sed ubi, quæso nunc conspiciuntur tot Henrici, tot Caroli, tot Francisci? Emensi utique sunt iter universæ carnis. Unde sciendum, quod dicantur, non mori, quia nascuntur, non eliguntur: de quo eleganter differit Illustriss. Joach. Ernest. Heres Norvveg. &c. apud Illustriss. Frider. Achill. alleg. *Consult. Orat. pro Gall. fol. 183. & seq.* Vix enim sentitur amissus, cui non succedit extraneus. Nec subditorum desiderio videtur ereptus, qui illis consurgit in successione reparatus. Athalaricus Rex apud Aurel. Cassiodor. *variar. lib. 8. epist. 6. & 8.* sed quodammodo ipse putatur vivere, cujus progenies cognoscitur imperare. Idem *ibid. epist. 2.*

(d) Renunciatio sive Cessio est juris sui spontanea refutatio. Greg. Tholos. *S. I. V. lib. 17. cap. 17. n. 13. & 23.* Quâ factâ, perditur omne, quod quis habuit, tam in petitorio, quàm possessorio. *c. quod in dubijs. 8. extr. de renunciat.* Franc. Marc. *aur. decis. quæst. 1265. n. 1. par. 1.* Matt. Mager. *de Advocat. arm. cap. 8. n. 446. & seqq.* Unde Imperator renuncians, quò ad Imperium censetur mortuus. *arg. Clem. ne Romani. 2. § sane. ibi gl. verb. moriente. de elect. & electi potest.*

(e) Depositio vel Degradatio nihil est aliud, quam dignitatis privatio; sive de gradu dejectio. Gregor. Tholos. *S. I. V. lib. 31. cap. 30. n. 1.* Joann. Paul. Lancell. *Institut. jur. can. lib. 1 tit. 20. in pr.* Depositus Imperator, Imperii intuitu hominum consortio ereptus, censetur. *arg. Clem. ne Romani. 2. ibi gl. verb. moriente. de elect. & electi potest.*

Franc.

Franc. Marc. *ant. decis. quaest. 942. num. 4. par. 1.* Capite tamen per hoc non minuitur. *arg. §. quib. 5. Inst. de capit. deminut.*

Absentia Imperatoris tribus hisce modis Imperium vacare facientibus, maximâ affinitate copulatur. Imperator enim eo casu, jurisdictionem & potestatem, quam per electionem consecutus est, habitu tantùm retinet, non etiam exercitio: quemadmodum rectè docent, quos laudat Flor. de Venning. *inter Claud. Cantiunc. cons. 16. num. 189.* Rex Romanorum autem, si pro tempore fuerit, istius potestatis exercitium suscipit. Aliàs Comes Palatinus Rheni, Saxoniæq; Dux, Principes Electores, idem suo jure sibi postulant & vendicant: uti dico infra. Neque inter absentiam voluntariam & coactam, distinguendum, sed idem de hac, quod de illa statuendum esse autumo. *arg. c. pen. ibi gl. verb. sed capitulum. de suppl. neglig. prælat. in 6.* Quæstiones huc refero subsequentes.

QUAEST. I.

AN Romano-Germanicum Imperium etiamnum hodie Romanum jure nuncupari queat?

Si Regum, Consulum, Dictatorum, Imperatorum atq; Cæsarum, qui Romanum Imperium fundarunt, ampliarunt, stabiliverunt, manes in vitam se revocari sinerent, & præsentem ejus faciem probè contemplarentur, fortean in hæc erumperent verba;

Nil patrium, nisi nomen habet, Romanus alumnus.

Verum Imperator Fridericus III. susque deq; habens, quæ manes, quæq; superstites garrire queunt & solent, Imperium hoc nostrum, das Heilige Römische Reich / indigitavit, Reformat. zu Franckfurt *anno* 1542. auffgerichtet Et sane nec latum unguem à veritatis tramite deviavit: id sine omni dubietate edoctus à Friderico I. cognomine suo, qui ita scribit: Nostram intuere Rempubl. (Germanorum intelligit, cujus ille moderator erat) penes nos cuncta hæc sunt; puta, antiquæ Romæ gloria, Senatoriæ dignitatis gravitas, tabernaculorum dispositio, Equestris Ordinis virtus & disciplina, ad conflictum procedentis intemerata ac indomita audacia. Ad nos simul omnia hæc cum Imperio dimanarunt. Non cessit nobis nudum Imperium, virtute suâ amictum venit, ornamenta sua secum traxit: penes nos sunt Coss. tui penes nos est Senatus, penes nos est miles tuus. Isthactenus Imp. Fridericus I. Rescripto de jure Impp. in Urb. Rom. apud Melch. Goldast.

Goldast. Constit. Imperial. *tom. 3. fol. 333.* Cum igitur rem ipsam adhuc hodie habeamus, quare nomen idem usurpare nobis non liceret? Etenim à retentione rei ad retentionem nominis argumentum deducere non prohibemur, uti rectè docet Andr. Knichen. *Encyclop. Civit. Brunonic. cap. 1. n. 36. per l. à nullo. 4. C. de serv. fac. c. Chorepiscopi. 5. in fine, ibi gl. verb. nomen. dist. 68.* Jam dicta ex ipsius veri archivo sunt deprompta, & tamen plurimi quotidie in dubitationis avia se abripi patiuntur, quod videant Romam, caput mundi & gentium domitricem, Imperatoribus nostris sedem ac domicilium denegare, vel, (quod verius est) ut deneget, cogi. Verum, Prætoriam in viam revocati cogitent, non quid fiat, sed quid fieri debeat, inspiciendum esse. *l. fin. vers. Prætor. ff. de J. & J. l. sed licet. 12. ff. de offic. præsid.* Deinde, die Stat Rom hat selbst Kayser Friedrichen / als eine deß Reichs Stat / vor jhren Herren vnd Kayser erkennet / wie davon schreibet Radevvicus *lib. 2. c. 21.* teste Christ. Lehman *Speyer. Chron. lib. 5. cap. 67. §. ferner vnd zum fünfften.* Præterea recolant, quod non locus, sed qualitas, rebus nomen impertire debeat. *l. urbana. 166. l. urbana. 198. ff. de V. S. l. si prædium. 16. C. de præd. & aliis reb. minor.* Tandem, sciant Imperium non Urbis, sed orbis circulo concludi: Carolumq; Magn. Imperio Germanorum sanguini immixto, Romam unà in Germaniam transtulisse, ut Roma sit, ubi Imperator. Adeoq; Roma hodie est Viennæ, Pragæ, Noribergæ, aut ubi sacratissimo Imperatori libuerit. Ita Imperatores Orientis, Constantinopoli sedem suam habentes, non eò minùs Imperatores Romanos se nominabant: licet Impp. Occidentis id ægrè ferrent: uti videre est ex illis, quæ annotavit Alb. Krantz. *Saxon. lib 6. c. 37.* Videantur Franc. Zoannett. *de Rom. Imper. n. 242. & seqq.* Nicol. Buvvinckh. apud Illustriss. Frider. Achill. Duc. Würtenb. *Consultat. de princip. provinc. Europ. Orat. pro German fol.* 872. Georg. Acac. Enenk. *de privileg. parent. & liber. privil. 20. cap. 3. n 11. & seqq.* Bernh. Zieritz. *observat. ad Caroli V. constit. crimin. proœm. verb. Roman. Imperator.* Herm. Kirchn. *de Republ. disp. 3. coroll. 9. lit. a.*

QUÆST. II.

AN Imperatori Romano-Germanico integrum sit, coronâ abjectâ, ad fortunam & conditionem humiliorem remigrare?

Theodosius Adramytenus Imperator Orientis, Imperio cedens, monasticam vitam elegit, Egnat. & S. Aur. Victor. append. apud Dion

Dion. Gothofr. *Histor. antiq. lib. 4. in Theodosio III. fol. 473.* Diocletianus & Maximianus Impp. Occidentis, purpurâ uno die depositâ, privatam ad vitam se reduxerunt. Benevenut. de Rambald. *lib. August. in Dioclet.* apud Marq. Freher. *Germ. rer. Script. to. 2. fol. 5.* Eutrop. *Histor. Rom. lib. 9. sub fin.* Imperator Romano-Germanicus Lotharius, Caroli I. ex filio Ludovico Pio nepos, renuncians omnibus quæ habuit, Prumiense monasteriũ ingressus, & Diaconus monachus effectus est. Lupold. Bebenb. *de Zelo Cathol. fidei veter. Princip. Germ. cap. 3. vers. Item Imperator.* Quod Carolus V. Imperiali dignitate relictâ in Hispaniam tandem concesserit, ibiq; privatus vitam hanc cum morte commutaverit, nemo nescit. Hæc itaq; exempla utiq; comprobant, verã esse regulam, quæ ita sonat: Dignitatum titulis & officiis quilibet renunciare potest, etiamsi ea sint summa. Theod. Reinking. *ad l. fin. n. 6. C. de edendo* Succeditque meritò jam illud: Mutanda non sunt, quæ moribus utentium certam interpretationem semper habuerunt. *l. minimè. 23. ff. de LL.* sed potiùs, quando rebus mortalium acerba non sunt, legis dignitate honestari debent. Imp. Leo *Nov. 22.* Præcipuè verò renunciationi locum relinqui convenit, quando Imperator propter morbi alicujus malignitatem, ætatisvè senium, quod etiam Cicerone teste, per se morbus est, oneri ferundo par ampliùs esse nequit. R. A. Augspurg *anno 1559. in princ.* Matth. Stephan. *de Jdict. Imp. Rom. lib. 1. cap. 15. n. 22. cum seqq. & lib. 2. par. 1. cap. 1. n. 146. cum seqq.* Principi enim seni, fessamq; ætatem, & actos labores prætendenti, otium & solitudo sine invidiâ concedi; juveni verò, si se hominum oculis subtrahit, non nisi arrogantiæ id adscribi potest. Carol. Paschal. *Axiom. polit. ex Taciti annal. lib. 3. verb. fessamque.*

Imperator autem renunciaturus, id observare debet, ut ne Romani Pontificis, sed Electorum Imperii in manus resignet; sciens, penes hos ut electionis faciendæ, ita etiam abdicationis recipiendæ jus residere: *a g. can. antepen ibi gl. verb. renunciatur ca. s. 6. quæst. 3. gl. c. quod in d bus. 8 verb. in manum. extr. de renunciat.* Franc. Marc. *decis. au . quæst. 629. n. 1. par. 1.* Insistere tenetur vestigiis Imp. Caroli V. qui optimus, optimo sanè exemplo luc præivit; ceu manifestum facit Relatio Historico-Politica *de abdicatione S. R. I. & Regnorum inde dependentium à Carolo V. Imp. factâ, extans apud* Melch. Goldast. *Polit. Imper. par. 7. per tot.* Videantur Georg. Sigism.

Seldus

Seldus *Consil.* oder bedencken an Kayser Ferdinanden wie deß Bapsts Pij V. unbilligem anmassen zu begegnen sey. *quæst.* 2. §. Zum neundten wo die. *cum* §. *seq. fol.* 49. & §. Sonst aber meinem. *cum seqq. fol.* 61. & *seqq.* Restaur. Castald. *de Imperat. quæst.* 103. *n.* 1. *cum seqq.* Ludolph. Schrader, *tract. feud par.* 10. *sect.* 8. *n.* 173. *cum seqq.* Gerl. Buxtorf. *Dissert. A.B. concl.* 10. *lit. c.* & *seqq.*

QUAEST. III.

AN potiùs Pontifici Romano, quam VIIviris Imperii conveniat, Imperatorem degenerem throno suo indignum pronunciare, & deturbare?

Olim Deo digni Pontifices pro Ecclesiasticâ pace suppliciter deprecari solebant; non quærentes, imo, animo nunquam concipientes, aliquos deponere. Autor incert. *de Unit. Eccles. conserv.* §. *hac verba. vers. sic certè.* apud Marq. Freher. *German. rer. Script. tom.* 1. *fol.* 157. Successu temporis autem, hat der Römische Stul sich angemast/ das allein der Bapst und sonst niemandt/ einen Römischen Kayser/ gleich wie auch andere Christliche Könige / Ihres Kayserthumbs und Königreichs macht habe zu entsetzen. *c. ad Apostolicæ.* 2. *de sentent.* & *re judic. in* 6. *c. si Papa.* 6. *dist.* 40. Dagegen aber so halt ich doch dafür / wo sich jetzund solcher Fall zutrüge / unnd der Bapst sich angeregter Gerechtigkeit anziehen wolte / würde man Ihme derselben / nach gelegenheit jetziger Zeit / nicht leichtlich wollen geständig sein / sondern vermeinen / das die Macht einen Römischen Kayser zu entsetzen allein den Ständen deß Reichs / oder aber den Churfürsten zugehörig: germanicè & germanè consulendo scribit Georg. Sigism. Seldus *Consil.* oder bedencken an Kayser Ferdinanden / wie deß Bapsts Pij V. unbilligem anmassen zu begegnen sey. *quæst.* 1. §. Zum sechs und zwantzigsten. *edit. Francof. de anno* 1612. *fol.* 40. Etenim in omni eo, quod per electionem statuitur, hoc observatur, ut cujus est prima autoritas eligendi, ipse idem approbet, ac reprobet, vel ille, cui autoritatem hanc concessit Marsil. de Menandr. *Defens. pac. par.* 1. *cap.* 12. *sub fin. fac. l. si quis.* 12. *in princ. ff. de legat.* 3. *l. ejus est.* 3. *l. nihil.* 35. *ff. de R. I.* Electores igitur, Ordinum reliquorum consilio tamen non rejecto, Imperatorem, si res ita poscat, exautorabunt. Jungantur, quæ dico *infr. concl.* 6. *lit. n.* Quod vero oggannire solent, Imperium

à Papa dependére: proindeq; Imperatoris approbandi, & reprobandi arbitrium penes ipsum esse, vanum est, imo vanissimum. Imperatoris enim celsitudo est independens quò ad sui naturam, primò & supremò distincta à spirituali, à Deo immediate dependentiam suam habens. *c duo sunt. 10. ibi gl. verb. auctoritas. dist. 96.* Card. Cusan. *de Concord. Cathol. lib 3. cap. 5.* Die Kayserliche Gewalt hanget niet van dem Pais. Want vnse HErr JEsus Christus gaff Sent Peter gheye gewalt/ dan zo binden/ ind zo entbinden/ ouer mits pœnitentie ind absolvere zo geuen van sünden. He gaff eme niet/ dat he prouende verlenet/ off dat he Könynckrych/ Schlösse/ ind Stede hedde/ off dat he Keyser/ off Könynge sezde ind entsezde. Want hedde Christus Sent Peter de gewalt gegeuen/ so hedde he vnd Sent Paulus billich den Keyser Nero affgesezet/ der ein quatt schalck was/ ind verfolger der Christen. Idt yß ouch niet zo vermoyden/ das Constantinus I off Otto I. off andere Keysere/ alsus hoich hauen willen begifftigen den Bischoff zo Rome/ dat he se moege sezen/ off entsezen. Ouch vynt man dat nyrgens geschreuen/ dat Christus Sent Peter/ off den andern Apostelen dat gegeuen haue/ &c. Archigrammateus Reipubl. Colonienſ. *Chron. Colon. in Ludovic. IV. Bav. pag. CCLVIII. b.* apud Melch Goldast. *Rationali Constit. imperial. fol. 94.* Videantur SCtum quod Electores *6. Iulij anno 1337.* Rhenosei condiderunt, & altero anno post, 8. *Augusti* Francofurti sanxerunt ac comprobaverunt apud Alb. de Rosate *ad l. fin. C. de quadr. p ascript.* & Christ. Lehman *Spever. Chron. lib. 7. cap. 17.* Dant. Aligher. *de monarch. lib. 3. per tot.* Restaur. Castald. *de Imperat. quaest. 81. per tot.* Joach. Cluten. *Syll. rer. quot. concl. 5. cum seq. & fasc. impiet. Thalm. Pontifi. c. r. 5. cum seqq.* Christ Lehman *cit. Chron. lib 5. cap. 68.*

TEXTUS.

Illustris Comes Palatinus Rheni S.R.I. Archidap. ad manus futuri Regis Romanorum in partibus Rheni, & in jure Franconico, ratione Principatus seu Comitatus Palatini privilegij, esse debet provisor Imperij.

CONCL. II.

OLim Augusto adhuc vivo (a) Cæsar sæpè creabatur. (b) Ho-

Hodie Imperio nec dum vacante (c) Rex Romanorum (d) subinde eligi solet, (e) atque etiam potest, (f) qui Imperatoris absentis aut impediti (g) Vicarius sit perpetuus, (h) & tandem demortui (i) successor indubitatus. (k) Quando autem Imperatorem abesse, Imperiúmvè vacare contingit, (l) & Rex Romanorum nullus habetur, (m) Archidapifer Imperii (n) per Sueviam, Franconiam, oramque Rhenanam, (o) ejus loco omnia gubernat, (p)

(a) AUGUSTUS, non ab augendo, sed augurio nomen trahens, Christ. Besold. *Politic. lib. 2. cap. 8. n. 25. v. 1.* ille dicebatur, qui pro tempore regnabat, & Imperatoris nomine, Senatu autore, condecorabatur. Restaur. Castald. *de Imperat. quæst. 41. n. 2. & seqq.*

(b) CÆSAR designari atq; appellari solitus fuit, ut Imperatore mortuo in Imperio succederet. Illâ autem designatione & appellatione hoc solum comprehendebatur, quod post Imperatorem viventem demum imperaturus foret, Regni administratione interim penitus interdictâ; uti refert ex Spartiano & Eutropio Ludov. de Molina *de Hispanor. primogen. orig. & nat. lib. 3. cap. 6. n. 21.* Jungatur Gregor. Tholosan. *S. I. V. lib. 18. cap. 2. n. 19.* Hodie, qui summâ Imperii majestate potitur, tam Imperator, quam Cæsar, audit. Bernhard. Zieritz *observat. ad Caroli V. Criminal. Constitut. procem. verb. Roman. Imperator.* Amboque nomina à C. Jul. Cæsare Dictaturam perpetuam usurpante, & Monarchiæ Romanæ fundamina jaciente, profluunt. Gregor. Tholos. *S. I. V. lib. 47. cap. 20. n. 3.* Christ. Lehman *Speyer. Chron. lib. 1. cap. 9.*

(c) Modi, qui Imperium nostrum verè, vel quasi, vacare facere possunt, relati & enucleati sunt *supr. concl. 1. per tot.*

(d) REX ROMANORUM hoc loco mihi non est, qui olim ante Pontificis Romani coronationem hoc nomine, & post eandem demum Imperator appellabatur, vel Cæsar: sed qui Imperatore adhuc inter mortales versante, ab Electoribus creatur, ut eo absente vel impedito Imperii administrationem suscipiat, & tandem Imperatore hac vitâ emigrante, Imperator ipse existat. Talis in Gallia Delphinus, in Hispania Infans; in Anglia olim Dux Normanniæ, hodie Princeps Walliæ, salutatur. Dion. Gothofr. *ad l. etsi. 7. lit. l C. de malef. & mathemat. & cæter. simil.* Bernh. Zieritz. *Observat. ad Caroli V. Criminal.*

constit. proœm. Roman. Imperator. Thom. Smith. *de Republ. Anglor. lib. 1. cap. 18. in pr.*

(e) Ludovicus Pius, Caroli Magni filius, Otto I. II. & III. Henricus II. III. IV. V. & VI. Fridericus II. Wenceslaus, Maximilianus I. & II. Ferdinandus I. Rudolphus II. & Matthias. I. Augustis Impp. viventibus Imperii successores designati fuerunt, uti historiarum annales replicaturus, citra pulveris jactum, inveniet.

(f) Exempla eorum, quos modò enumeravi, quosque partim ante, partim post Auream Bullam conditam, creatos esse constat, id satis evincunt: *arg. l. minimè. 23. ff. de LL. l. præcipimus. 32. §. fin. C. de appellat. & consultat. fac. c. pen. ibi gl. verb. coadjutorem. extr. de Cler. ægrot. vel debilit.* Eligi insuper potest, licet Imperator obloquatur, legitimis contradicendi rationibus non instructus: ceu docet Compactat. Imp. Rudolphi II. cum in Reg. Roman. Ratisb. eliger. *§. cum primis.* apud Melch. Goldast. *Polit. Imper. par. 12. tr. 1.* Clariùs Capitulat. Imp. moderni, quâ inter cætera & hæc continentur: Wir / deßgleichen vnsere Kinder / Erben vnd Nachkommen / sollen vnd wollen die gemelten Churfürsten / Ihre Nachkommen vnd Erben / zu jeglicher zeit / bey Ihrer freyen Wahl eines Römischen Königs / dieselbige / so offt sie es einem Kayser zu behüff / oder sonst dem Heiligen Römischen Reich nohtwendig vnd nutzlich befinden / auch bey lebens zeiten eines Römischen Kaysers / mit / oder wen derselbe auff angelegte Bitte der Churfürsten / ohne genugsame erhebliche Vrsachen / geweigert werden solte / ohne einigen regierenden Kaysers consens, fürzunehmen: M. S. Capitulat. Imp. Ferdinandi II. cum Francofurti mense Augusto anni 1619. Rex Rom. eligeret. §. Vnd insonderheit. 30.

(g) Electio sola, Regi Romanorum in specie sic dicto, administrationem actu non concedit: sed Imperatoris absentia aut impedimentum etiam requiritur. Hinc in Receßib Imperii frequens illa locutio, wir oder in vnserm abwesen Römischer König Rectè: etenim ad id, quod sub certâ qualitate vel cōditione alicui defertur, non pervenitur, nisi qualitas, sub qua delatum est, verificetur, *l. si cognatis. 19. ff. de reb. d. b.* Joan. Harpr. *ad pr. n. 20. Instit. qui testam. tutor. dari poss.* Faciunt huc quæ tradit Ludov. de Molina *de Hispan. primogen. orig. & nat. lib. 3. cap. 6. n. 22.*

Uni-

(h) Universalis scilicet, cujus potestas non angustiori limite, quàm ipsius Imperatoris circumscribitur, quique successionis spem radicatam habet. Pertinet huc differentia inter Principum Vicarios observandâ, de quâ post Alexandr. Thom. Michaël. *de SS. Caes. Majest. jurudict. concl. 29. lit. c.* Rob. Maranta *de Ord. judicior. par. 4. judic. dist. 5. n. 6. & seqq.*

Aliàs autem reperiuntur etiam Imperii Vicarii particulares sive locales, qui in ditionibus suis Imperatoris vice esse, omniaq; peragere cupiunt. Nec omninò perperam. Quemcunque enim Imperator Imperii Vicarium facit, huic ipsi illis in locis, quae is possidet, ut dominus, censetur tribuere omnia jura, & insignia summae, hoc est, Regiae & Imperatoriae potestatis; exceptâ appellatione Regiâ & Augustâ, tum veneratione & fide erga Regem & Imperatorem; & perpetuo foedere Regni & Imperii. Carol. Paschal. *Coronar. lib. 10. cap. 9. sub. fin.* Talis est Rex Hispaniae in Italiâ universâ, si vera memorat Joann. Bodin. *de Repub. lib. 1. cap. 9.* Tales quoq; sunt, aut ad minimum se tales esse praetendunt, Dux Mediolani, Sabaudiae, Mantuae, Montisferrati, Mutinae & Rheggii; & Delphinus in Regno Arelatensi. Gerl. Buxtorf. *Dissertat. A. B. concl. 53. per tot* Effectus Vicariatuum horum hic est, quod pristina Imperatoria potestas fermè intra Germaniae fines sit contracta. Carol. Paschal. *Coronar. lib. 9. cap. 20. sub fin.* Idq; Pontificis Romani arrogantiâ & iniquitate, uti Imperii Vice-Cancellarii verba, huc transscripta docent, & ita sonant: Der Stul zu Rom gibt für/ wann das Reich durch absterben eines Römischen Kaysers / oder sonst verledigt/ so stehe die verwaltung desselben dem Bapst zu/ darauß dann erfolget/ das vor zeiten / als Kayser Ludwig der vierdte seines Kaysertumbs von dem Bapst vermeinter weise entsetzet/ seind die fürnembsten Stät in Italia durch Bapst Benedictum XII. vnd Clementem VI. in krafft solcher angemasten administration etlichen Vicariis vnd Statthaltern befohlen/ vnd entlich dadurch dem Heiligen Reiche schändtlicher weise entzogen worden Georg. Sigism. Seld. *Consil. oder bedencken / an Kayser Ferdinanden/ wie deß Bapsts P. V. vnbilligem anmassen zubegegnen sey: quaest. 1. §. Zum siebenvnd zwantzigsten vnd letzten. edit. Francofurt. de anno* 1612. *fol. 402 & seqq.*

Praeterea non desunt, qui adstruere conantur, Principes Germaniae in Principatibus suis Vicarios tales etiam esse. Cum per

per ſit tritum, Quòd Princeps, Comes, Baro, Civitasq; Imperii, tantum in ſuo territorio, quantum Imperator in Imperio univerſo, poſſit. Verum, quatenus hæc theorica vero conſonet, eleganter declarat Theod. Reinking. *de Regim. Secul. & Eccleſ. lib. 1. cl. 5. cap. 6. per tot.* Jungatur Regn. Sixtin. *de Regalib. lib. 1. cap. 4 n. 21.*

(i) Renunciationis & Exautorationis caſus hic quoq; referri volunt atq; debent. Mortis autem mentio jure optimo præcipua fuit; quod hic caſus ἐπὶ τὰ πλεῖστον, id eſt, ut plurimùm, reliqui verò ἐκ παραλόγυ, id eſt, ex inopinato accidant: uti loquitur JCtus Pomponius *l. jura. 3. ff. de LL.*

(k) Quod luculenter & ſufficienter probāt R. A. Augſpurg *de anno 1559. in princip. ibi:* Uns als hie bevor erwehletem / beſtättigtem *&c.* R. A. Augſpurg *de anno 1566. in princ. ibi:* das wir gleich als bald nach tödtlichem Abgange &c. Exiſtit autem tunc ipſo jure Imperator, non fit: *arg. l. in ſuis. 14. ff. de ſuis & legitim. heredib.* hoc eſt, quaſi exoritur, qui jam antea fuit, ſed quodammodo latuit: per ea, quæ ſcribit Hub. Giphan. *ad §. extraneis. 5. in pr. Inſt. de hered. qualit. & different.*

Et hinc eſt, quod in Comitiis Ratisbonæ *anno 1576.* coactis, eo ipſe inſtanti, quo Imp. Maximiliani II. obitus, & ex hac vita abitus, innotuit; inſcriptio ædium, in quas Rudolphus II. pro tempore Rex Romanorum diverterat, his verbis concepta: Röm. Königl. Mayt. expuncta, & Röm. Kayſ. Mayt. repoſita fuerit: uti refert Tob. Paurmeiſt. *de Jdict. Imp. Rom. lib 2. cap 5. n. 3.*

(l) Pontifex Romanus (qui nec Deus eſt, nec homo, ſed inter utrumque, quemadmodum adulatoriè ineptiunt Conr. Lancell. *de jure publ. perſonar. lib. 2. §. 1. quæſt. 1. verſ. Pontific. n. 2.* Mich. Ulcurrun. *de Regim. mundi par. 2. quæſt. 2. n. 69.*) Imperii vacantis adminiſtrationem ad ſe devolvi putat. *c. licet. 10. extr. de foro compet. Clem. paſtoralis. 2. de ſent. & re judic. Extravag. ſi fratrum.* Verùm, jam dicenda probatum dabunt, quòd verè putet, hoc eſt, omni genere erret; juxta interpretationem Corn. Fronton. *de different. voc. §. qui putant.*

(m) Neque ſimpliciter & abſolutè neceſſarium eſt, ut, antequā Imperator mortalis corporis ſarcinam deponat, aut renunciet, aut degradetur, Rex Romanorum ſemper eligatur.

(n) Germanicus textus habet, deß Heiligen Reichs Ertztruchſeß. Olim Supremum S. R. I. Dapiferum in titulis ſuis ſe inſcripſit, annotante Marq. Freher. *Origin. Palatin. cap. 15. §. ab eo igitur.* Neceſſe

autem

autem fuit, hæc verba, ſpecificæ differentiæ loco, adjicere, ut conſtare poſſet, quis ex Comitibus Palatinis Rheni pluribus hac adminiſtrationis prærogativâ radiare deberet. Nam demonſtratio plerunque vice nominis fungitur. *l. certum. 6. ff. de reb. credit. l. nominatim. 34. in pr. ff. de condit. & demonſtrat.* Ejusq; nomen nomino, quem ita deſcribo, ut ea deſcriptio conveniat, præter ipſum, nemini. Carol. Paschal. *Axiom. politic. ex C. Taciti annal. lib. 1. verb. ut qui.*

(o) Ita Joann. Sleidan. Comment. *de ſtatu Relig. & Reip. ſub Carolo V. Caſ. lib. 1. edit. Argentin. de anno M. D. LV. fol. 16. a.* In tractu Rhenenſi, & Francia Orientali, Sueviâque universâ. Marq. Freher. *Origin. Palatin. cap. 15. §. & de vicariatu.* Germanica textus noſtri verſio ſic reddit, In Landen am Rhein/ in Schwaben vnd Francken. Majus momentum latet in hiſce latini textus verbis: *In partibus Rheni, & Sueviæ, & in Jure Franconico:* quæ retinuit Petr. de Andlo *de Imper. Rom. lib. 2. cap.* 10. Inter illa vero præ reliquis, hæc, *in jure Franconico*, myſterium (ut loqui ſolent) inplicant & innuunt, Provincias quoque illas, quæ extra Franciæ limites poſitæ ſunt, ſi modo Franconico jure utantur, Palatini hujus Vicariatui eſſe ſuppoſitas. Ubi notandum, quod Teutonicum Imperium olim duplici jure, Franconico, puta & Saxonico fuerit gubernatum: uti dico *infr. concl. 5. lit. m.*

(p) Textus hoc modo: *Ad manus futuri Regis Romanorum eſſe debet Proviſor Imperij:* Germanicus verò ita. Soll an ſtat eines Römiſchen Königs ein Verweſer vnd Pfleger deß Reichs ſein. Quibus verbis meliùs reſpondent illa *vice & nomine Sacri Imperij. concl. ſeq.* Certum enim eſt, quod ſacræ cognitionis habeat poteſtatem, & judicationis Imperatoriæ repræſentet reverentiam: uti inferius dicetur. Quæſtiones huc refero ſubſequentes.

QUAEST. I.

AN VIIviri Regem Romanorum creaturi, cujatem ſe ferat, inquirere, & ſolùm Germanorum ſanguine cretum acceptare debeant?

Unis Germanis, quaſi verum nobilitatis germen dictis, juxta *gl. c. 1. verb. Germanos. diſt.* 34. inter Chriſtianos omnes Imperium mundi à divinâ providentiâ traditum eſſe verè ſcribit Joann. Naucler.

Chronograph. gener. 24. *vol.* 2. *fol.* 630. Quare itaque cum vate & Psalte regio non licebit exclamare: *Non fecit taliter omni nationi.* Ps. 147. *vers.* 20. Germani autem Imperialem dignitatem adeò sibi devinxerunt, ut hæc jam inter Imperii fundamentales sit leges: *Ne quis exterus, & non Germanus in Imperatorem eligatur:* Attico teste Illustriss. Franc. Carolo Duce Saxon. apud Illustriss. Frider. Duc. Würtenb. *Consultat. de Princip. provinc. Europ. Orat. pro German. fol.* 113. *lin.* 8. *& seqq.* Non equidem desunt, qui non tantum opinantur, sed etiam scriptis vulgare ausi fuerunt, Regem Franciæ, & quidem ex reliquis nationibus solum, Imperiali dignitate, non minus, quam Germaniæ Magnatem aliquem condecorari posse; propter Carolum Magn. qui Rex Galliæ & de Alemanniâ fuit: quorum in numero reperitur Franc. Marc. *aurear. decis. quæst.* 940. *n.* 10. *par.* 1. Verùm Franciscum Marcum, & reliquos idem opinantes atq; docentes frustra esse, & Romano-Germanici Imperii leges ignorasse, Serenissimus Albertus Archiepiscopus Moguntinus Germaniæque Archicapellanus, qui omnium optimè hujus rei cognitionem habuit, edocet. Etenim Francisci Galliarum Regis, Imperium efflictim ambientis, electionem dissuasurus, inter cætera, hæc quoque aperto corde & ore prolocutus fuit: *Ad Gallum quod attinet, legibus nostris & jurejurando nos arbitror impediri, quibus cautum est, ne decus hoc Imperii transferatur ad exteros: quin autem peregrinus ille sit Princeps, nulli dubium esse puto,* uti est apud Sleidanum Germanicarum rerum Protonotarium solertissimum, loco in fine hujus quæstionis intimando. Sciendum autem est, quod Electores Imperatore Carolo IV. qui id disertè non caverat, jam vivis erepto, seipsos jurisjurandi religione ad id obstrinxerint, quemadmodum refert Joann. Bodin. *de Republ. lib.* 5. *cap.* 5. Prudenter sanè, & legi divinæ maximè congruenter. Deuterom. 17. *v.* 14. *& seq. fac. c.* 1. *vers. eligatur. ibi gl. verb. gremio. dist.* 23.

Hoc loco non [illegible]ebeti crenâ scientiæ tabulis inscribi debet, quod nomenclatura GERMANI hac in materiâ latiorem significationem admittat, ita ut ille etiam Germanus dicatur & habeatur, qui avo Germano adhuc superstite extra Germaniæ terminos spiritum haurire & cœlum hoc adspicere cœpit. Filius enim patris, & nepos avi paterni originem sequi solet *l.* 1. §. *qui ex duobus.*

2. *l.*

2. l. *assumptio. 6. ff. ad municipal. & de incol. l. filios. 3. C. de municip. & originar. lib.* 10. Generos. Baro Hohenecc. *de Privileg. parent. & liberor privil. 3. cap. 1. n. 7. & 33.* Semen itaque, non etiam venter hic in considerationem venit, quemadmodum loquitur Imperator *Novell. 162. cap. fin.* Videantur Joann. Sleidan. *Comment. de statu Relig. & Reip. sub Carolo V. Caes. lib. 1. edit. Argent. de anno M. D. LV. fol. 11. & seqq.* Hennig. Göden. *cons. 1. per tot.* Rest. Castald. *de Imperat. quaest. 7. per tot.* Petr. Heig. *jur. Civil. & Saxon. quaest. 5. per tot. par. 1.* Conr. Lancell. *de jure publ. personar. libr. 1. cap. 1. §. 2. quaest. 3. per tot.* Sim. Pistor. *cons. 1. n. 1. & seqq.*

QUAEST. II.

AN Imperatore absente vel impedito, Rex Romanorum ordinariam potestatem habeat atque exerceat?

REGEM ROMANORUM Imperatoris Imperiique Vicarium perpetuum appellari, jam antè dictum fuit. Sed vices agentium mos est, sic aliorum voluntatibus obedire, ut suas non habeant dignitates. Splendent mutuato lumine, nituntur viribus alienis, & quaedam imago in illis videtur esse veritatis, qui proprii non habent jura fulgoris: quemadmodum Rex Theodoricus Gothus loquitur *constit.* 151. apud Melch. Goldast. *Constit. Imperial. tom. 3. fol. 77.* Quae sanè verba ordinariam potestatem denegare videntur. Verùm, cùm reverà à lege habeat, quicquid habet, ordinaria potestas ei abjudicari non potest. Probat id locutio haec Jm Namen Jhrer Kays. Maytt. vnd für vns selbst/ quam Recessus Imperiales lecturiens vel sexcenties inveniet. R. A Speyer *de anno* 1542. §. So hat dem allen nach. R. A. Augspurg *de anno* 1555. §. Setzen demnach. §. Wir setzen ordnen. §. Vnd sollen in obertzehlten. *& passim.* Hinc est, quod aequè ac Imperator de Imperialibus Civitatibus scribit, Vnser vnd deß Heiligen Reichs Stätte. R. A. Regenspurg *de anno* 1577. §. So haben wir vns. Quòd Judicem Camerae Spirensis nominare ac constituere queat Ordinat. Cam. *par. 1. tit. 1.* §. Nemblich Quòd Imperatore adhuc vivo Caput Imperii audiat. R. A. Augspurg *de anno* 1555. § vnd im fall da die.

Hoc verò alternativè, non copulativè est accipiendum, ita ut Imperatore absente vel impedito Caput sit; ne Imperium quod uniceps esse debet, biceps, & consequenter monstrosum, efficiatur, ut rectè etiam monet Theod. Reinking. *de Regim. Secul. & Eccles. lib. 1. cl. 3. quæst. 14. n. 47.* Vicarij nomen quod attinet (ut hoc quoque expediatur) referri huc possunt verba Regis Theodorici *alleg. constit.* 151. de Vicario Urbis Romæ ita loquentis: Tu Vicarius diceris, & tua privilegia non relinquis, quando propria est jurisdictio, quæ datur à Principe. Videantur Accurs. *in l. more. 5. verb. alieno. ff. de Jdict. omn. judic.* Lup. Bebenb. *de jurib. Regni & Imp. Rom. cap. 11. per tot.* Joach. Cluten. *Syll. rer. quot. concl. 23. lit. e.* Tob. Paurmeist. *de Jdict. Imp. Rom. lib. 2. cap. 5. n. 5. & seqq.* Adr. Gilman. *Symphor. votor. Camer. to. 1. par 3. vo. 8. n. 10. & seqq.* Regn. Sixtin. *de Regalib. lib. 1. cap. 4. n. 9. & seqq.*

QUAEST. III.

AN Imperatore transalpizante, Archidapifero Imperii, in locis adsignatis, administratio debeatur?

S. Augustinus populum alicubi monet, ut ne rideat sacerdotes minùs grammaticè loquentes. Ego utiq; etiam necesse habebo lectorem rogare, ut ne rideat me, occasione sic ferente verbo parum latino, latinâ in oratione utentem: sed sciat, apud veteres Germanicarum rerum scriptores *Transalpizare*, pro trans Alpes proficisci, usitatè poni; teste Conr. Rittershus. *Partit. jur. feudal. libr. 2. cap. 1. quæst. 36.* Verum ad rem. Verissima & decisiva propositæ quæstionis responsio depromi potest ex Ordinatione quadam antiqua de Officio Comitis Palatini, inter cætera & hæc habente: *Si Regiam Majestatem, sive in exercitu, sive aliter extra Regnum agere contingat, Comes Palatinus ex officio debet in Regno semper esse Locumtenens &c.* Dicta Ordinatio integra legi potest apud Melch. Goldast. *Constitut. Imperial. to. 3 fol.* 403. Deinde Diploma, quo Rupertus Cæsar, iter in Italiam suscepturus Ludovico filio suo gubernationem commendat, idem, & quidem apertiùs, loquitur. Extat hoc & videri potest apud Marq. Freher. *Not. ad* Petr. de Andlo *de Imp. Rom. lib. 2. cap. 10. verb. Comitatus sui privilegio. fol. 191. b. & seqq.* Tandem luculentissimè hoc idem demonstrat Imp. Caroli V. Confir-

mation vber deß Pfalßgraven Vicariat-Ampt im Heiligen Römischen Reich/mit einverleibten Constitutionen Caroli IV. vnd Maximil. II. apud Melch. Goldast. in Reichs Satzungen *tom.* 1. *fol.* 241. Veritati quidem conforme est, quod modò nominatus Carolus V. Germaniam aliquandiu relicturus Ferdinandum fratrem Vicarium, Regimentumq; ex illustribus aliquot personis collectum, instituerit & constituerit. Ordnung deß Regiments auff dem Reichstage zu Wormbs *de anno* 1521. Verùm, ut ibidem dicitur §. Vnd anfänglich. id factum fuit, mit zeitigem Raht/ willen vnd annehmen der Churfürsten/ Fürsten/ Graven/ Freyherren/ Herrn vnd Ständte &c. Et ita etiam sciente atque volente Imperii Archidapifero, qui pati & concedere potuit; ut alius jure suo, quasi commodatò uteretur, *arg. l. pen.* C. *de pact.* Imo, quod magis urget, Imperator tam Comiti Palatino Rheni, quam Saxoniæ Duci Principibus Electoribus reversalibus scriptis seorsim cavit ac promisit, ipsorum Vicariatus privilegiis Regimine illo nihil præjudicii generatum iri: quod docent Caroli V. Constitutiones vber das Statthalter-Ampt im Heiligen Reiche/das solches an deß Pfalßgraven/ vnd Churfürsten in Sachsen Vicariat-Ampt vnnachtheilig sey: apud Melch. Goldast. in Reichs Satzungen. *to.* 1. *fol.* 243. Videantur Nicol. Rucker. inter Cl. Cantiun. *conf.* 14. *n.* 2. *& seqq. ibidem* Flor. de Venning. *conf.* 16. *n.* 22. *& seqq.* Marq. Freher. *Origin. Palatin. cap.* 15. §. *& de vicariatu.* Gerl. Buxtorf. *Dissertat. A. B. concl.* 54. *lit. c. & d.* Bened. Carpzov. *de Capitulat. Cæsar. cap.* 11. *n.* 10. *& seqq.*

TEXTUS.

Cum potestate judicia exercendi, & ad beneficia Ecclesiastica præsentandi, recolligendi reditus, & proventus, & investiendi de feudis, juramenta fidelitatis, vice & nomine Sacri Imperii recipiendi: quæ tamen per Regem Romanor. postea electum, suo tempore, omnia innovari, & de novo sibi ipsa juramenta præstari debebunt.

CONCL. III.

INterregno incidente (*a*) Archidapifer Imperii suum

intra tractum (b) vice sacra omnia peragit, (c) quæ ad rerum juriumq; Imperii administrationem pertinere possunt: (d) in reliquis nihil agit. (e) Quæcunq; autem interea temporis legitimè gesta reperiuntur, (f) Imperator novè electus innovat, (g) simulq; rata esse jubet. (h)

(a) Imperio vacante, ut suprà locuti sumus. INTERREGNUM autem dicitur illud spatium temporis, quò usque in demortui locum alius ordinetur. Pomp. Fest. *de verb signific. lit. I.* Habetque locum in Principatu electivo, sicuti Tutela in successorio. Christ. Besold *Synop. doctr. polit. lib. 1. cap. 6. n. 26.* Quia verò suis incommodis, tam hæc, quam illud scatere solet, utrinque cautione providâ opus est. Hîc, ut ne Regno legitimus heres denudetur. Illic, ut ne anarchia, Reip. interitum accelerare sciens, emergat. Bone Deus! quàm plurimi, etiam lumine cassi, adhuc tamen lugent, quòd eorum in tutelâm deciderint, qui tollitores, quam tuitores, lieber Gernhaber/ als Gerhaber/ esse maluerunt: Paul. Matth. Wehner. *pract. observ. lit. G. verb. Gerhaber.* quiq; improbâ dominandi libidine stimulati, & animam & ditionem ipsis eripere haut expalluerunt. Historicorum in sylvam te proripito, & exempla quasi sturnatim obviabunt. Aliquot inde accepta exhibet, Mart. Mager. *de Advocat. arm. cap. 1. n. 331. & seqq.* Suo etiam more & modo Interregnum, quod Imp. Friderici II. obitus Imperio nostro dedit, & totos sedecim, vel octodecim, vel tres & viginti, vel etiã octo & viginti annos duravit (adeo varius & vagus Chronographorũ calculus hic reperitur, indice Christ. Lehman *Speyer. Chron. lib. 5. cap. 95.*) eidem interitum minitari, & sepulchrum parare visum fuit: ut Germaniam, tunc temporis, inter tot capita, sine capite fuisse, non minus verè quam eleganter dicat Illustriss. Joachim. Ernest Heres Norvveg. apud Illustriss. Frider. Achill. Duc. Würtenb. *Consultat. de Princip. provinc. Europ. Orat. pro Gall. fol. 184. sub fin.* Hodie autem tale quid evenire vix poterit. Etenim Vicarii certi & optimi, lege publicâ administrationem confirmatam habent, ut totus hic titulus noster indicium facit. Tum sanctione eâdem cautum est, ut Archiepiscopus Moguntinus, ubi primùm rescivit Imperium vacare, Electoribus cæteris ilicò id denunciet; diemq; constituat, ut intra tertium mensem Francofurti præsto sint ipsi, vel ipsorum Legati cum plenis mandatis, novi Cæsaris eligendi causâ. Quod si Moguntinus negligat, Collegæ cæteri nihilo secius intra tempus illud convenire, neq; priùs illinc discedere debent,

debent, quàm creato Cæſare. Si verò res ultra triceſimum diem differatur, omnibus aliis cibariis detractis, pane & aquâ ſaturari debent. A. B. *tit. 1. & ſeq. per tot.*

(b) Definitum, ſuisq; limitibus diſtinctum *ſupr. concl. 2. lit. e.* Extra eundem nihil juris ſibi arrogare poteſt: hæc enim ſibi invicem opponuntur. *l. 1. §. ſive autem. 14. ff. de aqua cottid. & æſt.* Paul. Matth. Wehner. *pract. obſerv. lit. A. verb.* Auſſerhalb. Deinde Magiſtratus extra provinciam ſuam pro privato habetur. *l. fin. ff. de Jdict. omn. judic. l. pupillus. 239. §. pen. ff. de V. S. Clement. quamvis. de foro compet.* Andr. Gaill. *pract. obſ. 52. n. 2. lib. 1.* Idem *de P P lib. 1. cap. 16 n. 28.*

(c) Quemadmodum Epiſcopalis autoritas per Vicarium ejus repræſentatur. Joan. Paul. Lancell. *Inſtit. jur. can. lib. 1. tit. 15. in pr.* Ita Comes Palatinus Rheni ſacræ cognitionis habet poteſtatem, & judicationis Imperatoriæ repræſentat reverentiam, juxta *l. 1. ibi gl. verb. reverentiam. C. de offic. vicar.* Imperatoris vicem in omnibus, & per omnia ſuſtinet Matth. Steph. *de Jdict. lib. 2. par. 1. cap. 1. n. 160.* Henr. Bocer. *de jure & comm. ſenior. lib. 1. cap. 3. n. 24.* Omnis jurisdictio & ſuperioritas penes eum reſidet. Flor. de Venning. *inter Cl.. Cantiunc. conſ. 16. n. 22. & 26.* Omnia rectè dicuntur. Etenim præter ea, quæ textus noſter hic enumerat, licitum ei eſt, poſtulantem, in Cæſaream Sacriq; Imperii protectionem ſuſcipere, daß einer in deß Heiligen Reichs Schutz vnd Schirm ſey. Mart. Mager *de Advocat. arm. cap. 9. n. 712. & ſeqq.* Licitum ei eſt, naturales, manſeres, baſtardos, etiam ex damnato & illicito coitu procreatos, natalibus reſtituere: ferias & nundinas inſtituere: mente captis, illisq; qui ſuam in tutelam nondum venerunt, tutores, & curatores præficere: Notarios publicos creare, eosq; de tabellionatus officio, per pennam & calamum, ut moris eſt, inveſtire: nec non ſexcenta alia, & enumeratis longè nobiliora, quæ ſingula continentur diplomate Ruperti Regis Romanor. apud Marq. Freher. *jam ſupra allegato loco.* Illud notatu condignum videtur, quod Elector hicce, eo eñá tempore, quo Vicarius nõ eſt, non tantùm Nobiles, ſed Comites quoq; creandi privilegio gaudeat. Marq. Freher. *Not. ad Petr. de Andlo de Imp. Rom. lib. 2. cap. 11 verb. Princeps etiam* Joach. Cluten. *Syll. rer. quot. concl. 24. lit. l. verſ non minima.*

(d) Adminiſtratio hæc in conſervando & acquirendo conſiſtit, non etiam in minuendo, ut ſubſequentia manifeſtabunt. Et quî Vicario minuere liceret? Rex ipſe quãtũ ad boni publici procurationẽ attinet.

172

attinet, ferè idem est, qui pater cum uxore & liberis, tutor cum pupillo, curator cum adolescente, gubernator cum vectoribus onustâ nave, pastor cum grege, Imperator cum exercitu: quorum nemo fidei suæ concreditos ut vendere, donare & alienare potest; sic nec Rex populum & provincias: post Fr. Hotoman. Georg. Kölderer apud Illustriss. Frider. Achill. Duc. Würtenb. *Consultat. de Princip. provinc. Europ. Orat. cont. Ital. fol.* 781. *lin.* 13. *& seqq.*

(e) Nullius est momenti, sive non valet quod agitur, & nulli inde vel lucrum vel damnum contingit. *pr. Instit. qui & quib. ex caus. manumitt. non poss. l. sed & si quid.* 25. *§. quæstionis.* 3. *cum § seq. ff. de usufr. & quemadm. quis utat. fruat. l. si mulier.* 21. *§ si metu.* 4. *ff. quod met. causa gest. erit. l. si debitor.* 2. *ff. de pignor. act.* Ita enim in jure, phrasis hæc, innumerabilibus locis accipitur. Hub. Giphan. *ad §. fin. verb. nihil agitur. Instit. de usufr.*

(f) Illegitimè gesta meritò reprobantur. Paria namq; sunt, prorsus nihil facere, & aliquid, quod jure subsistere nequit facere. *arg. l. quotiens.* 6. *ff. qui satisd. cogant. l. qui satisdare.* 3. *ff. de fidejussor. & mandat. l. si se non obtulit.* 4. *§. condemnatum.* 6. *ff. de re judic. & de effectu sentent.*

(g) Approbando, non reprobando, ut mox sequetur. INNOVARE autem, Ernewern, propriè est rem denuò seu de novo tractandam suscipere. CONFIRMARE Bestätigen est autoritate & assensu suo, quod jam peractum est, stabilire: maximèq; superiori competit. RATIFICARE Annehmen/ Bewilligen/ Belieben/ est quod alius fecit, approbare; & hoc cuilibet licet, cui suo remigio rem gerere licet. Verùm hæ differentiæ plerunq; non attenduntur, sed unū pro alio usurpatur, Mod. Pistor. *cons.* 38. *vol.* 1.

(h) Quo de faciendo, per jusjurandum fidem dat, quando eligitur, ut est inter leges Imp. Carolo V. præscriptas apud Joan. Sleidan. *Comment. de statu. Relig. & Reip. sub Carolo V. Cæs. lib.* 1. *edit. Argent. de anno* M. D. LV. *fol.* 16. *a. & seqq.* Obligat. deß erwehleten Römischen Königs vnd Kaysers gegen den sieben Churfürsten vnd dem Heiligen Reich zu Franckfurt in der Wahl / vnd zu Aach auff der Crönunge / *art.* 27. apud Melch. Goldast. in Reichs Satzungen *par.* 1. *fol.* 240. M. S. Capitulat. Imp. Ferdinandi II. cum Francofurti Rex Roman. anno 1619. eligeret. §. So sollen vnd wöllen wir auch 31. Et ita usu observari revelat Confirmat. Caroli V. vber die handlunge Pfaltzgraven Ludwigs / so er als Vicari deß Reichs gethan hat: *apud* Melch.

Goldast.

Goldast. d. to. par. 1. fol. 142. Dixi, Imperatorem jurejurando ad id obstringi. In Capitulationibus enim passim sub finem hæc leguntur verba: Alles vnd jedes besonder / wie obstehet / haben wir obgedachter Römischer König/den gedachten Churfürsten geredet/ versprochen/vnd bey vnsern Königlichen Ehren/ Würden vnd Worten im Namen der Warheit zugesaget: Thun dasselbe auch hiemit / vnd in krafft dieses Brieffes; Jnmassen wir dann das mit einem leiblichen Ayde zu Gott/ vnd auff das Heilige Evangelium schwören/ dasselbe stet / fest vnd vnverbrochen zu halten &c. Accedit, quod hæ clausulæ à Principibus, bey meinen Fürstlichen; à Comitibus, bey meinen Grävlichen; à Nobilibus, bey meinen Adelichen; ab aliis in dignitate constitutis, vel fide dignis viris, bey meinen Christlichen Ehren / bey meinem guten Glauben/Trawen vnd Würden; item an Ayds stat; & à mulieribus, bey meinen Fräwlichen Ehren; prolatæ, instrumentisq; insertæ, ex communi omnium probatorum JCtorum ac Practicorum opinione, hodiè vim juramenti veri importent; utut circa pœnam aliàs differant. *c. ad aures. 3. extr. de ijs quæ met. causa fiunt. c. pervenit. 2. ibi gl. verb. religionem. extr. de fidejussor.* Flor. de Venning. *inter Cl. Cantiun. cons. 16. n. 31. & seqq.* Andr. Gail. *pract. obs. 59. n. 1. & seqq. lib. 2.* Joach. Mynsing. *singul. obs. 17. ibi* Arn. Reyger. *addition. cent. 1.* Paul. Matth. Wehner. *pract. obs. lit. B. verb.* Bey Glauben vnd Trawen. Andr. Knichen. *de Saxon. non pro voc. jure & privileg. verb. Jus. cap. 4. n. 79. & seqq.* Quæstiones huc refero subsequentes.

QUAEST. I.

AN Imperii Provisor illum etiam, qui aliam, quam recipiens, religionem profitetur, interregni tempore ad præbendam præsentare queat?

Jus Patronatus, quod potissimum dotatione, constructione & fundatione ad aliquem pervenire solet, juxta versiculum

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus:

nihil est aliud, quam potestas præsentandi instituendum ad beneficium vacans. *gl. can. pia mentis. 26. verb. pia mentis. caus. 16. quæst. 7.* Joan. Paul. Lancell. *Instit. jur. Can. lib. 1. tit. 28. per tot.* Unde Episcopus, Superiorvè Episcopali jure gaudens, à Patrono nominatum, sive, ut lo-

D quuntur, 73

quuntur, præsentatum instituere tenetur. *c. quod autem. 5. c. pastoralis. 29. extr. de jure patronat. cum similib.* Idoneus autem censetur, qui in Ecclesia servire potest & vult. *c. super. 35. extra. de prabend. & dignitat.* Qualis est, ex legitimo matrimonio natus, aut legittimatus, aut dispensatus, scientia sufficienti, juxta qualitatem beneficij, ornatus: post Canonici iuris textus Greg. Tholos. *partit. jur. Canon. lib. 1. tit. 28. cap. 17. n.1. ibid gl. lit. e. cum seqq.* Franc. Duaren. *de Sacris Eccles. minister. & benef. lib. 4. cap. 1. & seqq.* Breviter, idoneus dicitur, qui recipientis cẽsuram sustinere potest, & ab eodem pro idoneo reputatur. *tit. de Institut. & jure patrona. passim.* Quia verò recipiens illum, qui alio, quã ipse, religionis cultu Deum veneratur, capacem & idoneum vix iudicaturus est, sequetur, quod non alius, quam eandem cum ipso religionem amplectens præsentari queat. Theod. Reinking *de Regim. Secul. & Eccles lib. 3. cl. 1. cap. 9. n. 22.* Ad hypothesin thesin hanc transferre lubet. Germanorum haut ullus ignorare potest, imo nec debet *arg. l. fin. § Servius. 43. ibi: turpe esse &c. ff. de O. I.* Imperatoris, Ordinũquè Imperii conventione solenni effectum atq; cautum esse, ut Imperium Romano-Germanicum solummodo duarum diversarum religionum professores toleret, foveat, defendat. Illos puta, qui Pontificis Romani vel os, vel pectus, vel humerum, vel brachia, vel genua, vel pedes osculo lubentis oris osculentur. Etenim, in his septem corporis partibus, Papa, pro diversitate personarum, osculum recipit: uti refert ex Innocentio Rest Castald. *de Imperat. quæst 64. n. 7.* Deinde illos, qui symbolum à quibusdam Germaniæ Ecclesiis conscriptum, & Imp. Carolo V. Augustanis in Comitiis 25. Junii anno 1530. exhibitum Propheticis nec non Apostolicis scriptis conforme esse profitentur & propugnant.

Conventio autem isthæc non est nuda, sed amicta, imò circumvallata clausulis admodum salutaribus: veteris scilicet iuris correctione, noviq; constitutione, omnium beneficiorum renunciatione, & severissimâ pœnæ stipulatione, sub asseveratione religiosâ. Cum igitur necesse sit pullulare ex his obligationem, hunc vel illum in religionis suæ exercitio, quocunque sub prætextu, turbari & inquietari prohibentem: prono quasi alveo inde fluit, quod Imperii Vicario, Episcopo Pontificio, non nisi Pontificium; Augustanæ autem confessioni addicto, non nisi etiam talem, interregni tempore præsentare liceat. Secus ubi facit, per sinuosos anfractus iter aperire & pervenire

tentat.

tentat, quò consularis via ducere nequit: quod tamen fieri non debet *arg. l. quæ sub conditione 8. §. sed si. 5. ibi gl. verb. ne alia. ff. de condit. institut. l. fin. ibi Gothofr. lit. u. C. si mancip. ita venier. ne prostit. c. un. de Cleric. conjugat. in 6. c. quod una. 84. de R. I. in 6.* Illud hic addo, quod Generosissimus Baro Lazarus von Schwendi generosè & prudenter judicaverit: Pacem Religiosam Ecclesiasticis, Ecclesiasticorumque bonorum securitati plus, quam religionem reformatam sectantibus commodare atque prodesse: Bedencken an Kayser Maximilian. II. von Regierung deß Heiligen Römischen Reichs / vnd Freystellung der Religion. *n.* 21. edit. Francof. *de anno 1612. fol. 126. & seq.* Videantur Georg. Schönborn *Politic. lib. 4. cap. 6.* Petr. Frider. *de process. mandat. & monitor. in Cam. extrah. lib. 1. cap. 19. §. 4. & seqq.* Petr. Syring. *de Pace Religion. concl. 29. lit. g.* Theod. Reinking. *de Regim. Secul. & Eccles. lib. 3. cl. 1. cap. 9. n. 20. & seqq.* Henr. Andr. Cran. *de Pace Relig. par. 1. probl. 4.*

QUAEST. II.

AN Imperii Provisor, rescripto moratorio, quod nostrates Quinquenell vnd Anstand-Brieffe vocare consueverunt, petentem exhilarare queat?

Rescriptum tale concessurus, superioris nescius ut sit, aut saltem Imperii jura exerceat, necesse est. Conr. Lancell. *de jure publ. personar. lib. 1. cap. 1. §. 4. verb. debitorib. per tot.* Christ. Besold. *Politic. lib. 1. cap. 4. n. 15. v. 3.* Quin verò Imperii Provisor illud elargiri valeat, vix dubium esse potest, cum ex superioribus liqueat, eum Imperii jura exercere, & Imperatoris personam in casibus non exceptis, repræsentare. Etenim si exceptio facit, ne liceat, ibi necesse est licere, ubi exceptum non reperitur, *arg. l. loci. 4. § pen. ff. si servit. vindicet. l. quæsitum. 12. §. idem respondit. 43. vers. deniq. ff. de instructo vel instrum. leg.* Quod eò magis procedit, quando detrimenti quicquam in Rempubl. inde redundare nō potest. Quia verò homines gratiam talem petitum venientes, non sunt unius generis, cautio adhibenda erit, ne dignus & indignus simpliciter ablativum adsciscant. Quidam enim tantùm fortunæ novercantis invidiâ in paupertatis calles incidunt: Welche auß Kündtlichen vnnd vnversehenlichen

zugestandenen unfällen oder schaden in verderben kommen. Quidam verò egestatem, quam Bonæ mentes semper aversantur, suo sibi jumento accersunt: Welche den armen Leuten / so ferm Zapffen und Spiegel sitzen / alles vermachen / und jhre Creditoren enterben. Quidam deniq; & suo & fortunæ vitio inopiâ vexari incipiunt: Welche zugleich mit helffen / das sie zur Ruhe kommen / und hernacher Botten werden. Illi, commiseratione atq; auxilio dignissimi, meritò exambiunt, quod ambiunt. Isti, ab infamiæ portâ haut procul absunt. Etenim L. Roscia constituens, ut Equites in quatuor & decem ordinibus sederent, decoctores excepit; uti ex aliis refert Dion. Gothofr. *ad Nov. 135. præf. lit. e.* Unde fortean digni judicabuntur, ut dexteram eorum catena ornet, juxta observata Justi Lips. *Excurs. ad Taciti annal. lib. 3. lit. B.* Hi vero, quia culpam admiscuere, commiseratione legisq; auxilio se indignos & incapaces reddidisse putantur, *arg. l. fin. §. fin. ff. quæ in fraud. credit. facta sunt ut restit. l. quod quis. 203. ff. de R. I. c. fin. extr. de immunit. Ecclesiar. c. quia. 14. extr. de Usur.* Eosdem à flebili cessionis bonorum beneficio quoq; arcendos esse statuunt plurimi, quorum aliquot laudat Petr. Heig. *Iur. Civil. & Saxon. quæst. 35. n. 49. par. 1.* Videantur Ordnung und Reformation guter Policey zu Augspurg *anno* 1548. auffgerichtet / und zu Franckfurt *anno* 1577. gebessert: *tit.* von verdorbenen Kauffleuten. *§. fin.* Andr. Knichen. *de Saxon. non provoc. jure & privil. verb. Ducum Saxoniæ. cap. 5. n. 506. & seqq.* Herm. Lather. *de Censu lib. 3. cap. 15. n. 20. & seqq.* Paul. Matth. Wehner. *pract. obs. lit. A. verb.* Anstandsbrieff. Bernh. Wurmbs. *pract. obs. 9. tit. 28. lib. 1.*

QUAEST. III.

AN Imperii Provisor reditus & proventus Imperii nomine recollectos, deß Reichs Renten und Gefälle / suos faciat & lucretur?

Potestatem habet collectas & datias, consueta onera realia & personalia, & mixta, quocunq; nomine censeantur, Imperatori & Imperio debitas seu debita, debendas seu debenda, nec non omnes census, reditus, jura, proventus, emolumenta, oblationes, conductus, telonia & pedagia Principatuum & dominiorum, monasteriorum, civitatum, terrarum, territoriorum, districtuum, oppidorum, castrorum, villarum & locorum, ad Imperatorem, ratione Imperii & ipsum sacrũ

Roma-

Romanum Imperium, de jure, consuetudine, aut aliàs pertinentes & pertinentia exigendi, levandi, recipiendi, & ad usus suos pro defensione sacri Imperii, & pro ipso Imperio ac evidenti expensarum necessitate supportandi, & applicandi: uti habent verba Ruperti Regis Romanorum, diplomate filio suo dato, cujus tenor legitur apud Marq. Freher. *Not. ad Petr. de Andlo de Imp. Rom. lib. 2. cap. 10. verb. Comitatus sui privilegio. fol. 191. b. & seqq* Quæ verba liquidissimum faciunt quod proventus Imperii suos non faciat, multò minùs lucretur. Ita loquor; quia duo isthæc differentiâ quâdam ab invicem sejunguntur. Etenim, ille quidem, qui lucratur, suum facit: at non omnis, qui suum facit, lucratur. Interdum namquè, quod suum quis facit, restituere cogitur. Joann. Harpr. *ad §. si quis à non domino. 35. n. 79. Instit. de R. D.* Simili planè modo, jure privato, negotiorum gestor domino restituere jubetur, quod ejus nomine exegit, etiamsi sit indebitum. *l. si autem. 8. §. item. ibi gl. verb. non potuerim. & l. si quis negotia. 23. ibi Gothofr. lit. a. ff. de procurator.* Accedit, quod donatio regulariter non præsumatur; uti colligitur ex *l. cum de indebito. 25. in pr. vers. sin vero. ff. de probation. c. quia verisimile. 10. ibi gl. verb. concesserit. extr. de præsumption.* Franc. Pfeil. *cons. 99. n. 7. cent. 1.* Quòd perdere videatur, qui donat. *l. filiusfamil. 7. ff. de donation.* Exceptis casibus, quos enumerat *gl. l. sed si ego. 4. verb. donat. ff. ad SC. Vellejan.* Cum vero nemo teneatur suis stipendiis militare, *1. Corinth. 9. v. 7. c. cum ex officij. 16. extr. de præscription.* officiumq; publicum, uti non compendio, ita nec damno cuiquam esse debeat, *l. videlicet. 24. ibi gl. verb. damno. ff. ex quib. caus. major. 25. ann. in integr. restit. c. cum non deceat. 30. de election. in 6.* Sequetur, impensas pro Imperio factas, deducendas, illudq; tantùm, quod reliquū est, restituendum fore. Quod Ruperti Regis Roman. verba in hujus quæstionis frontispicio posita non obscurè etiam innuunt. Ita procurator quoq; fructus recollectos restituturus impensas detrahere potest. *l. idemq; 10. §. idem. 9. ibi gl. verb. cum oporteret. ff. mand.* Similiter etiam condemnatus ut acceptum indebitum, cum omni eo, quod solutæ rei accrevit, reddat, impensam subtrahere non prohibetur. *l. in summa. 65. § si qui. 5. ibi Gothofr. lit. e. ff. de condict. indeb.* Videantur Dominic. Arum. *A. B. Aad. disc. 3. th. 36.* Gerl. Buxtorf. *Dissertat. A. B. concl. 66. lit. b.* Matt. Rümel. *A. B. diss. 4. th. 18. par. 1.*

Feudis PP. duntaxat exceptis, & illis, quæ Fahnlehen *vulgariter appellantur, quorum investituram & collationem soli Imperatori & Regi Roman. specialiter reservamus. Ipse tamen Palatinus omne genus alienationis seu obligationis rerum Imperialium, hujusmodi provisionis tempore expressè sibi noverit interdictum.*

CONCL. IV.

MAximæ Archidapiferi (a) potestati, quam Imperio vacante obtinet, duo expressè sunt subtracta. (b) Etenim Regalis feudi, (c) quod nostrates Fahn- vnd Scepter Lehen appellant, (d) insignia conferre vetatur. (e) Deinde ad Imperialium rerum alienationem, (f) cui associanda est earum obligatio, (g) manus extendere prohibetur. (h) Alias autem easdem à Cæsaribus alienatas aut oppigneratas pari pretio reluere non nequit (i)

(a) De Imperii Archimarschalco, cujus, usque huc textus noster mentionem non fecit, singula, quæ hactenus dicta, quæq; dicenda sunt, etiam accipi debent, uti ex textu, paulò post subsecuturo constabit.

(b) EXCIPE, quod regulam proximè sequi solet, hic quoque invenitur, cùm tamen dictum fuerit, Imperii Provisorem, Imperatoris vicem in omnibus & per omnia sustinere. *supr. concl. 3 lit. c.* Sed cogitandum est, vix ullam adeò firmam regulam dari, quæ non in aliquo vitiata perdat officium suum. *l. 1. ibi Matth. n. 24. & seq. ff. de R. I. c. generi. 34. eod. in 6.* Nec verò etiam toto jure civili facilè dixeris OMNE, quin aliquid excipiatur. Theod. Marcil. *ad §. hæ mortis. sub fin. Instit. de donation.* sed potiùs juxta naturam actus, cui attribuitur, plerunq; restringatur; uti post multos alios, longo ordine, pro more, cumulatos ostendit Andr. Tiraquell. *de utroq; retractu municip. & convention. tit de retraict. lignagier. § 1. gl. 7. n. 27. & seq.*

(c) Appellatur etiam Feudum dignitatis, *c. un. §. fin. 1 FF. 13.*

Feudum

Feudum majus, nominatum, titulatum, absolutæ nobilitatis, uti docet, post alios, Regn. Sixtin. *de Regalib. lib. 1. cap. 3. n. 7 & 10.* Nihil autem est aliud, quam beneficium, de quo quis à Rege investitus est. *c. un. in pr. 2. FF 34.* Franc. Duaren. *Comment. Consuet. feud. cap. 4. n. 7.* Requiritquè ad sui essentiam copulativè duo: Dignitatem scilicet majorem, qualis est Principatus, Ducatus &c. & investituram à superioris nescio factam. Fr. Duar. *d. lo.* Curt. Jun. *FF. par. 1. quæst. 8. col. 1.* Jul. Clar. *sentent. lib. 4. §. feud. in. quæst. 10. num. 1.* Jungatur Conr. Rittershus. *partit. jur feud. lib. 1. cap. 4. quæst. 5.* Ex jam dictis tamen elici non potest, quod Comites & Barones, à Principe inferiori, per subinfeudationem investiti, regalem dignitatem nō habeāt. Etenim & illi à Principe summo, feuda, omnemq; dignitatem suam consequi censentur: post Frid. Pruckm. Regn. Sixtin. *de Regalib. lib. 1. cap. 4. n. 56. & seqq.* Facit huc, quod Imperator Ducatus vel Principatus investituram tantum ipse; Comitatus vero, Consiliarii Imperii (Reichs Hoffraht) conferre soleant. Quam exceptionem ex interpretibus quemquā notasse negat Warem. de Ehrenh. *Meditam pro fœde cib. lib. 2. cap. 1. n. 164.*

(d) Principes, quos Germania alit, sunt Clerici vel Laici. Joann. Borcholt. *Comm. Consuet. feud. cap. 5. n. 1. & seqq* sive Ecclesiastici vel Seculares. Conr. Rittershus. *d. cap. 4. in pr.* Illos Spirituales Principes vocat Alb Krantz. *Saxon. lib. 9. cap. 15.* Hos, Reges gentium appellat Dei Virginisq; proles; quod Lutherus Weltliche Herrn vertit, Lucæ *22. v. 25.* Tam hi, quàm illi Dignitatum, Regaliavè feuda possident, quorum investituram ab Imperatore, oblatâ fidelitate, petere tenentur, Andr. Gaill. *pract. obs. 30. n. 1. & seqq. lib. 1.* Conr. Rittershus. *d. lib. 1. cap. 5. quæst. 15. sub fin.* Lib. Hattys. *anal. in feud. cap. 3. n. 4.* uno etiā eodemq; modo, Sie müssen jhre Mañschafft auff einerley weise vom Reiche bitten / nemblich mit gefalten Händen vnd gebogenen Knien. Spec. Saxon. *gl germ. lib. 3. art. 60. in pr.* Imp. in aula, Tob. Paurm. *de Jurisd. Imp. Rom. lib. 1. ca 4. n 40* Nisi pactionibus & privilegiis aliud definitū demōstretur. Jacob Cujac. *FF. lib. 2. tit. 4* Porrò, nostrates Politicorum feuda Fahnlehen, Ecclesiasticorum autem Scepterlehen appellitāt, dieweil Kay. Myt den weltlichen Fürsten die Lehen mit Fahnen / vnd den Geistlichen mit dem Scepter leihet. Specul. Saxon. *gl. germ lib. 3. art. 60. in pr.* Quomodo Imperatores Romani Ecclesiasticorū feuda antiquitus, nō p sceptri, sed annuli & baculi insigne cōtulerint, tādē verò Pōtificū insolen-

insolentiæ annuli baculique symbolum cedere & relinquere coacti fuerint, annalium monumenta docent; Ex multis videri possunt Joann. Naucler. *Chronograph. gener 38. vol. 2. edit. Colon. de anno M. D XLIV. fol. 734.* Alb. Krantz. *Saxon. lib. 5. cap. 42.* Christ. Lehman Speyer. Chron. *lib. 5. cap. 67.* Quomodo Principes Politici hodie investiantur, discitur ex variis actibus, super ceremoniis, quibus Imperatores Ordinibus Regalia contulerunt, quos literis consignarunt Joann. Sleidan. *Comment. de statu. Relig & Reip. sub Carolo V. Cæs. lib. 18. edit. Argent. de anno M. D. LV. fol. 847.* Melch. Goldast. *Polit. Imper. par. 6. per tot.* Addi potest Handlung von empfahung der Lehen Königs Ferdinandi / als Ertzhertzogen zu Oesterreich / &c. *apud eund.* in Reichs Handlungen *fol. 126. & seqq.*

(e) Hoc Imperatori, Regique Romanorum Imperator Carolus IV. hoc textu nostro expressè reservavit. Observanda autem erit distinctio inter feuda, cujus meminit Ehrenb. citatus jam supra hac *concl. lit. c.* Carolum IV. Rupertus Rex Romanorum secutus diplomate, aliquoties jam allegato, idem fecit: in illo enim hæc verba, parenthesi inclusa, leguntur: *Exceptis duntaxat feudis insigniis Archiepiscoporum, Ducum & Marchionum, & quæ cum vexillis seu gladiis recipi consueverunt, & de quibus officialibus Imperialis Curiæ de more servitur.* Utrumque demum imitatus est Imp. Carolus V. Ordnung deß Regiments zu Wormbs auffgerichtet *anno 1521. §.* vnd behalten vns bevor.

(f) Latini textus verba hæc sunt: Comes Palatinus omne genus alienationis, seu obligationis rerum Imperialium hujusmodi provisionis tempore expresse sibi noverit interdictum. Germanicus textus eadem ita effatur: Vnd derselbe Pfaltzgrave hat auß Kayserlicher güte zu verbieten alle vereusserung vnd Verpfändung der Güter / so zum Reich gehören / zeit seiner verwesung. Uterque mysterium recondere, & speciale quid requirere videtur. Ille quidem, ut Comes Palatinus ipse manus suas virgines, hac in parte, conservare studeat. Hic verò, ut idem vigilet, videat, & provideat; ne Imperialium rerum sanctitas alterius mercatoris manu & attactu, prophanetur ac deturbetur.

(g) Quia Alienatio, quæ est translatio ejus, quod cujusq; est, ut sibi absit, & alteri adsit. *l. alienationis. 28. ibi Gödd. n. 4. & seqq. ff. de V. S.*

V. S. Mod. Pistor. *conf. 31. n. 15. & seq. vol. 1.* non tantum strictè accipitur, pro ea quæ dominium transfert; sed etiam largiùs, pro omni actu, qui alium alicujus juris participem facit. *rubr. & l. fin. ibi Sichard. n. 1. & seq. C. de reb. alien. non alienand.* Deinde ab obligatione ad distractionem certo certiùs tandem pervenitur. *l. si convenit. 4. cum l. seq. ff. de pignor. act. l. si creditor. 7. §. fin. ff. de distract. pign l. quæ specialiter. 9. C. eod. l. 1. & 10. tit. C. debitor. vendit. pign. imped. non posse.* Sequitur ergo, quod alienatione prohibitâ, obligatio simul prohibita censeatur. *arg. l. oratio. 16. ff. de sponsalib. l. ad rem. 56. ff. de procurat.* Joan. Harpr. *ad §. fin. n. 179. Instit. quib. mod. re contrah oblig.* Sunt tamen etiam differentiæ, quæ obligationem ab alienatione disterminant, de quibus Joan. Sichard. *ad l. qui post. 3. n. 7. & seqq. C. de legat.*

(h) Imperator Carolus IV. Imperatoriè quidem statuit, quòd Imperium res suas pleno jure possidere debeat, hoc est, ut neq; vendi, neq; per quoscunq; actus alienari possint, ceu loquitur, simulq; se explicat Agathense Concil. *cap. 7. relat. can. 1. caus. 10: quæst. 2.* Verum, quod statuit, exemplo minimè juvit. Minimè etiam cogitavit, iniquum esse, bona præcipere, & talia non fecisse. Aurel. Cassiod. *variar. lib. 11. epist. 8.* Hinc Aquilam deplumare non fuit veritus, ut in reliquum animantibus cæteris sit contemptui. Quid enim potest sine pennis? Alb. Krantz. *Saxon. lib. 10. cap. 3. in princ.* Specialia collegit Christ. Lehman *Speyer. Chron. lib. 7. cap. 39. & 50.* Joan. Wolff. *lection. memorab. & recondit. cent. 14. ad ann. 1354. tit. de Papa. cum Impp. concord. fol. 641. & seq.* Necesse itaque fuerit, ut Archidapifer & Archimarschalcus, Imperii Provisores, Imperatoris hujus stylum hoc passu sequantur, exemplum nequaquã: arg. illius quod Christus dicit Matth. *23. v. 2. & seq.*

(i) Hinc Elector Fridericus IV. ad Eberhardum Spirensem Episcopum & Capitulum simul inter reliqua ita scribit: Vnd wir dann / so wol als vnsere geehrete Voreltern die Pfalzgraven/ Churfürsten/von den Römischen Kaysern vnd Königen erlangten vnd habender sonderbaren / hohen Regalien vnd Privilegien berechtiget/ das wir Schlöß/ Stätte/ Märckte/ Dörffer / Leute vnd Güter / von der Römischen Kaysern vnd Königen versetzet/ verpfändet/ oder für Geldt verschrieben/ an Ihr Mayt. vnd deß Heiligen Reichs stat / zu vnsern Händen einzulösen gänz macht haben &c. Sub dato Heidelberg

10. April. anno 1 6 0 9. Privilegium hoc ex vicariatu prosilire, scribit Marq. Freher. *Origin. Palatin. cap. 15. §. & de vicariatu vers. deniq; ab hoc.*

Sed possuntnè res tales refuso pretio ab eodem repeti? De Appellæis illis lineis Protegenes aliquis judicet, ego manum de tabulâ. Hoc tamen non nescio, quòd Rex Romanorum recens electus juratò promittat, quòd Ordinibus Imperii Regalia, superioritates, libertates, privilegia, hypothecas, aliaq; jura, usus etiã, bonasq; consuetudines, quas hactenus habuerunt, vel aquâ terrâve exercuerunt, in bona constanti forma; sine ullâ recusatione, confirmare velit, & ad id teneri: citra tamẽ juris cujuslibet præjudicium. Compactat: Imp. Rudolphi II. cum Ratisb. in Reg. Roman. eliger. §. *omnimodis.* apud Melch. Goldast. *Polit. Imperial. par. 12. tr. 1.* Quæstiones huc refero subsequentes.

QUAEST. I.

AN Vicario Imperij eo tempore, quo rerum potitur, Comitatuum & Baronatuum vestituram elargiri sit permissum?

Imperatori Regiq; Romanorum Comitatus infeudationem reservare videtur textus. *c. un. in pr. ibi Gothofr. lit. c. 1. FF. 14. fac c. un. in pr. 2. FF. 10.* De Baronatu idẽ statuendũ esse, revelant textus nostri verba hæc: Principum feudis duntaxat exceptis, & ILLIS quæ vulgariter Fahnlehen appellantur: quæ optimè emedullat Gerl. Buxtorf. *Dissertat. A. B. concl. 68. lit. d.* Approbat & sequitur Theod. Reinking. *de Regim. Secul. & Eccles. lib. 1. cl. 4. quæst. 16. n. 12.* Juvat quòd feudalium placitorum interpretes doceant Curtis & Curiæ nomenclaturâ Comitatum ac Baronatum, æquè ut Ducatum venire. Henr. Bocer. *de Substant. nat. & accid. feudi. cap. 4. n. 54. & seqq.* Idem *de Investit. feudi. cap. 3. n. 128. §. Curtis. & seqq.* Iuvat, quod hodierni Germaniæ mores Comites & Barones æquiparent. Jacob. Kleist. *Feudal. concl. 6. §. bis quarto. dec. 1.* Thom. Maul. *de jure conduc. tit. 2. n. 5. & seqq.* Juvat, quod Barones non minus, quam Principes, Duces, & Comites, Imperialis Cameræ Præsides creari queant. Ordinat. Cam. *par. 1. tit. 1. in pr.* Juvat etiam quòd Comitia & Conventus Imperiales panegyrici, Comites & Barones simul Principum classi aggregent. Quod tamen jus non ratione tituli, sed liberi, immediateq; Imperio subjecti territorij habent. Christ. Besold. *de Idict. Imp. Rom. quæst. 14. à pr.* Circa jam dicta autem

repeten-

repetenda est distinctio supra jam posita *hac concl. 4. lit. c. in fine.* Illud, multis ignotũ, incidenter hic inspergere lubet, quòd quidam scriptum reliquerint, Comites atque Barones in Germania, sicuti Cardinales in Italia, si non de jure, tamen de consuetudine, hoc privilegium usurpare, ut hominem sceleratum, cruciq; jam destinatum, sibi obvium, carnificis unguibus eripere, & salvum abire jubere queant. Udalr. Zas. *ad §. pœnales. 12. n. 32. Instit. de action.* Joan. Sichard. *ad l. quicunq. 4. n. 43 C. de serv. fugitiv.* Videantur Petr. Heig. *Iur. Civil. & Saxon. quæst. 2. n. 31. & seqq. par. 1.* Paul. Matth. Wehner. *pract. obs. lit. F. verb.* Freyherren. Theod. Reinking *de Regim. Secul. & Eccles. lib. 1. cl. 4. quæst. 14. & 15. per tot.* Barthol. Chassan. *Catal. glor. mundi par. 8. consid. 15.* Mart. Mager. *de Advocat. arm. cap. 6. n. 87. & seqq.* Regn. Sixtin. *de Regalib. lib. 1. cap. 3. n. 12. cum seqq.* Idem *cap. 4. n. 36. cum seqq.*

QUAEST. II.

AN Imperii Provisori, ut investitura, ita etiam cognitio atque dijudicatio litium de Regalibus feudis emergentium, sit denegata?

Quemadmodum Feudorum consuetudinibus receptum esse videmus, ut litigium, inter Capitaneos, tanquam Vasallos majores exortum, coram Rege terminetur. *c. un. in pr. 2. FF. 34.* Ita Romano-Germanici Imperii lege publicâ cõstitutum reperitur, quod Imperator de litibus & controversiis incidentibus circa Regalia feuda, quorũ vestiturã solus elargitur, solus etiã per senatũ suũ aulicũ cognoscere velit & possit, in nobilissimum superioritatis symbolum. Textum hac de re rotundum habet Imp. Carol. V. Ordnung deß Regiments zu Wormbs auffgerichtet *anno 1521. §.* Ob auch sachen fürfielen. Idem verbo tenus repetitus legitur in der Camergerichts Ordnung auß allen alten Camergerichts Ordnungen vnd Abschieden auff dem Reichstag zu Augspurg anno 1548 von newem zusammen gezogen/vnd hernach auffm Reichstage zu Augspurg anno 1555. widerumb ersehen *par. 2. tit. 7. per tot.* Qui tandẽ iteratus reperitur Ordinat. Cam. *par. 2. tit. 7.* Georg. Obrecht *de jure feudor. lib. 4. cap. fin. n. 30. cum seq.* Et Feudistas omnes ita sentire testatur, ipseq; adstipulatur Joan. Borcholt. *Cõment. consuet. feud. cap. 10. n. 1.* Nec

immeritò, dum textum habent adeò apertum, quo cum qui navigat, securus navigat. Udal. Zas. *ad l. properandum.* 13. §. *& si quidem. n.* 8. *C. de judic.* Neq; necesse est, ut inter petitorium & possessorium differentia constituatur. Quir. Kubach. *illustr. quæst* 8. *decur.* 4. *cent.* 3. Meritò autem talia litigia recto gressu ad Imperatoris tribunal grassari jubentur; cum non de glande legendâ, neq; de ansere, domini conspectum effugiente recuperando, sed de amplissimâ Imperii provinciâ agatur: & magnæ arduæq; causæ magnos judices requirant. *l. non distinguemus.* 32. §. *de liberali,* 7. *ff. de recept. qui arbitr. recept. ut sent. d c. Exodi* 18. *v.* 22. *fac. l. jam dudum.* 5. *C. de ubi causa stat. agi. deb.* Sed, quid maius, quid sanctius Imperiali maiestate? & quis tantæ superbiæ fastidio tumidus est, ut regalem sensum contemnat? *l. si imperialis.* 12 *in pr. C. de legib. & constit. princip.* Quando Imperator tali casu solus cognoscere dicitur, id respectu Cameræ Imperialis atq; Vicariorum Imperii, non etiam respectu Parium Curiæ intelligendum, sed hos omnino adhibendos esse, deducit & docet Just. Meier. *Disput. de rei feudal. vindicat. th.* 62. *& seqq.* Videantur Andr. Gaill. *pract. obs.* 29. *per tot. lib.* 1. Ludolph. Schrader. *tract. feud. par.* 10. *sect.* 2. *n.* 66. *& seqq* Dom. Arum. *Aur. Bull. disc.* 3. *th.* 41. Idem *jur. publ. disc.* 11 *per tot.* Herm. Vult. *de Feud. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 8. *& seqq.* Henr. Bocer. *de jure & comm. senior. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 24. Henr. Andr. Cran. *de Pace religion. par.* 3. *probl.* 1, *con.* 2. Quir. Kubach. *illustr. quæst.* 6. *decur.* 4. *cent.* 3.

QUAEST. III.

AN Romano-Germanicus Imperator Regales dignitates, Principatus puta, Ducatus & his similes Imperio apertas, aliis reinfeudare queat?

Quæstionem illam, An quis potius debeat subvenire patri malo, quam extraneo bono? nebulam esse & tenebrosam aquam, dixit P. Manducat. referente *gl. c.* 1. *verb. fideles. dist.* 30. Fermè de hac nostra idem dicerem. Etenim, quod VIIviri in Imperatore eligendo agunt, ratum priùs non habetur; quàm Imperator designatus leges, Capitulatione contentas, accipiat, jurejurando communiat, & interpositâ cautione scriptâ fidem det, quòd ab illis nullatenus recedere velit. Inter cætera autem juratò promittit, quod Imperii bona, quæ

fortè

forte vacabunt, nemini conferre velit: uti docet Capitulat. Carolo V. præscripta, & ab eodem acceptata, apud Joan. Sleidan. *Comment. de statu Relig. & Reip. sub Caorlo V. Cæs. lib. 1. edit. Argent. de anno M.D.LV. fol. 16. a. & seq.* Compactat. Rudolph. II. cum Ratisb. in Reg. Romanor. eliger. § *feuda quoq;*. apud Melch. Goldast. *Polit. Imper. par. 12. tr. 1.* M. S. Capitulat Imp. Ferdinandi II. cum Rex Roman. Francof. anno 619. eliger. §. Wann auch Lehen 24. Atenim, licet modo jam dicto juretur, compertum tamen est, feuda quæ vacare & Imperio aperiri cœperunt, eidem non fuisse incorporata, sed aliis de novo concessa. Nam ecce, Imperator Carolus V. maximam partem bonorum, quæ Joannis Friderici Electoris Saxoniæ fuerunt, Ferdinando fratri suo germano, & Mauritio Duci Saxoniæ attribuit, quod contra Joannem Fridericum, modò etiam nominatum, fidelem operam in bello sibi navaverant. Electoratum Saxonicum Mauritio etiam soli concessit. Joann. Sleidan. *alleg. Comment. lib. 19. fol. 321. & seq.* Joan. Dickens. *Specul. trag. Reg. Princip. & Magnat. tit. de Ioan. Frider. Saxon. Duce & Elect. edit. Lugd. Batav. de anno* CIↃ IↃ C V. *fol. 67. & seq.*

Existimarem igitur, Imperatorem præstiti jurisjurandi religione feuda vacantia aliis concedere, non omnino prohiberi, si concedendæ qualitas, personæque tali beneficio ornandæ meritum id suadeant & efflagitent: hoc tamen nunquam non observato, ut ne Imperium damnum inde percipiat. Electoratum autem vacantem mensæ prorsus non esse incorporandum, sed alii concedendum ipsa ratio dictitat. Videantur Henr. Rosenthal. *Synop. feud. cap. 5. concl. 11. n. 2 & seqq. cap. 10. concl. 11. n. 10. & concl. 38. n. 32.* Tob. Paurmeist. *de Jdict. Imp. Rom. lib. 1. cap. 4. n. 40.* Joach. Cluten. *Syll. rer. quotid. concl. 20. lit. m.* Henr. Bocer. *de Regal. cap. 2. n. 61. §. est & illud. & cap. 4. n. 15.* Thom. Lindem. *Exercitat. feudal. 1. cap. 2. th. 65. & seq.*

TEXTUS.

Eodem jure provisionis illustrem Ducem Saxoniæ Sacri Imperij Archimarschalcum frui volumus, illis locis, ubi Saxonica jura servantur, sub omnibus modis & conditionibus, sicut superius est expositum.

IMperii Archidapifer & Archimarschalcus (a) ambo Principes Electores, (b) Palatini ambo (c) interregno perseverante (d) totius Imperii provisionem (e) suscipere meruerunt, (f) pro diviso tamen, (g) ita ut prior ille, regionibus quæ Franconico, (h) alter hic, provinciis quæ Saxonico (i) jure regi consueverunt, (k) præsit & prosit, (l) potestate penitus æquatâ, (m) quam perpetuò usurpare, (n) & ad heredes transmittere possunt. (o)

(a) Eodem planè sensu, quo dixit Sacri Imperii Archidapiferum debere Provisorem esse, *supr. 2. lit. n.* Sunt autem Imperii Archidapifer & Archimarschalcus Comes Palatinus Rheni, & Dux Saxoniæ: Wann man einen Kayserlichen Hoff begehet / muß der Pfaltzgrave bey Rhein das Essen tragen / und der Hertzog von Sachsen das Marschalck-Ampt halten. A. B. *tit. 4. §. fin.*

(b) Præter hos enim plures Comites Palatinos Rheni, pluresque Duces Saxoniæ reperiri, certum est.

(c) Saltem olim, si non hodie. Etenim Francia sive Germania duos habuit: Suevicum sive Rhenanum & Saxonicum, & hi sub se alios inferiores. *gl. marg. ad antiq. ordinat. de offic. Comit. Palat.* apud Melch. Goldast. *Constit. Imperial. to. 3. fol.* 403. Jure Saxonico sex enumerantur, illosq; inter Duci Saxoniæ primus, Duci Bavariæ, hoc est, Palatino Rheni secundus locus adsignatur. Specul. Saxon. *gl. germ. lib. 3. art. 53. verb.* Jegliches Teutschlandt.

(d) Imperator Gordianus eodem sensu rescripsit, matrimonio perseverante dotem repeti non posse. *l. dotu. 6. de collation.* De cujus exceptionibus quædam tangunt Joan. Sichard. *ad l. ubi adhuc. 29, n. 1. & seqq. C. de jure dot.* Andr. Gaill. *pract. obs. 83. n. 2. & seqq. lib. 2.* Hinc Interreges non immeritò appellari poterunt.

(e) Quia Imperatoris & Imperii Vicarii generales vocantur à Ruperto Rege Romanórum, diplomate multoties jam allegato. Universales, à Flor. de Venning inter Cl. Cantiunc. *cons. 16. n. 188.* Annectantur rationes, congestæ à Gerl. Buxtorf. *Dissertat. A. B. concl 58. per tot.* Unde illa loca, quæ non nominatim huic vel illi adsignata reperiuntur, inter cætera adjudicata esse judicabuntur. Limitatio tamen adhibenda est, cujus memini infra *hujus concl. quæst. 1. sub fin.*

Ambo

(f) Ambo quoq; eodem acquisitionis modo, videlicet, Imperii moribus pervetustis, quos Imperator Carolus IV. tandem confirmavit, & legem esse jussit. Textus verba hæc, Eodem jure provisionis Ducem Saxoniæ frui volumus, de hoc subdubitare faciunt Gerl. Buxtorf. *Differt. A.B. concl.56.lit.b.* Verùm, ut mea quidem fert opinio, sensus hic, illis ex verbis, erui gestit: Ducem Saxoniæ eodem provisionis jure, ratione Principatus seu Comitatus Palatini jam antè quæsito, postmodum etiam frui sinimus. Primo enim Dux Saxoniæ olim Palatinus fuit, uti jam dictum *hac concl.lit.c.* Deinde Imperator Carolus IV. qui in principio hujus nostri tituli dicit, Comes Palatinus Rheni ratione Principatus seu Comitatus Palatini privilegii esse debet Provisor Imperii: ipse idem Saxoniæ Ducis ditionem etiam Principatum, sive Ducatum & Palatinatum, Hertzogthumb vnd Pfaltz zu Sachsen/ indigitavit. Caroli IV. Bulla von Freyheit vnd *Succession* deß Churfürsten zu Sachsen/ *apud* Melch. Goldast. in Reichs Satzungen *par. 2. fol.* 68 *& seq.* Optimè consonat, quod Marq. Freherus scriptum reliquit: Utrunque Electorē Vicariatū obtinere veteri instituto, & peculiari muneris sui conditione: cujus formalia verba adduco hac *concl.lit.m.*

(g) Quæcunq; communia sunt, pro partibus divisis, vel indivisis communia ut sint, necessitas requirit: tertiā enim speciē jus nostrū ignorat. Jacob. Wehrn. Kylling. *de Ganerb. Castror. disc.* 8. *n.* 80. Utrumq; in Imperii Provisoribus conspicitur, diverso tamen respectu. Totius enim Imperii provisio duobus pro diviso est concessa. Regiones vero singulis adscriptas, singuli pro indiviso regunt ac moderantur.

(h) Ut dictum est *supr. concl.* 2 *lit. o.* Hunc Rhenanum Vicariatum, Germaniæ partem nobilissimam & Romanis Principibus libenter habitatam, complectentem, longè honestissimū esse, & latius, quàm Saxonicum patere, scribit Marq. Freher. *Origin. Palatin. cap.* 15. §. *q> in nec illud.* Et quis obloqui audebit? Quia non tantum Franconiam & oram Rhenanam, sed etiam Sueviam universam includit. Suevia autem Germaniæ totius suprema est portio, & sola olim Alemannia dicebatur. Unde Alemānorum Principum, hoc est, Suevorum, frequens in historiis est mentio. Joan. Naucler. *Chronograph. gener.* 43. *vol.* 2. *edit. Colon. de anno M. D. LV. fol.* 843. Adstipulatur Sebast. Münster. *Cosmograph. lib.* 3. *cap.* 6. *&* 8.

(i) Lex Romana, Longobardavè per omnes Germaniæ partes usum non

non æquè obtinuit: sed Saxonica gens ab omni antiquitate propriam legem habuit, quam nec Carolus Magn. qui postremam illam subjugavit, ei prorsus ademit. Adeoq; quidam Germaniæ populi, Regem Poloniæ hodiè agnoscentes, eo jure utuntur, & ex eo, à Polonis judicibus, sententias accipiunt. Marq. Freher. *Not. ad Petr. de Andlo de Imp. Rom. lib. 2. cap. 10. verb. ubi jura Saxonica.* Elector Saxoniæ hujus juris defensor singularis audit & est constitutus; testibus Petr. Albin. Meissnische Landt Chron. *part. 1. tit. 16.* Petr. Heig. *Iur. Civil. & Saxon. quæst. 4. n. 35. par. 1.* Mart. Mager. *de Advocat. arm. cap. 3. n. 77.*

(k) Sufficit à principio, & illo tempore, quo hi Electores provisionis prærogativam adepti sunt, prænominata jura alicubi viguisse, ut infra dico.

(l) Inter reliqua textus verba, & hæc leguntur: Provisor Imperij esse debet; *supra. concl. 2.* Quæ sanè monere possunt, ut nihil insolenter, nihil indebitum sibi vindicantes nominis sui officio tantùm fungantur, *arg. l. defensores. 5. C. de defensor. civitat.* Provisor autem ex pro & video coadunatur, neutrumq; pondere caret. Etenim τὸ pro, ibi non est otiosum, sed solertiam quandam & prudens administrationis officium denotat. Joachim. Mynsing. *ad rubr. n. 3. Instit. de mand.* Sic etiam video, inter alia significat curo, prospicio. *Ego isthæc rectè ut fiant videro.* Terent. *Andr act. 2. sc 1. Cur non, inquam, Phormio vides, inter vos sic hæc bonâ, ut componantur gratiâ.* Phorm. *act. 4. sc. 3.* Accedit verbum DEBET, quod necessitativum est ut loquitur Matth. Coler. *de Process. execut. par 3. cap. 12. n. 63.* tam in contractibus, quàm illis, quæ juris sunt publici: *l. 1. §. qui magistratum. ff. quod quisq; jur. in alium statuer. ut ipse eod. jure utat.* Andr. Clud. *de Condiction. par. 2. cap. 4. n. 9.* Joan. Rüding. *Singul. obs. 67. in pr. Cent. 4.*

(m) Textus verba sunt, sub omnibus modis & conditionibus, sicut superius est expressum; Mit aller sach vnd weise/ als obgeschrieben stehet. Quæ important omnimodam similitudinem, in substantia & in qualitate; per ea, quæ tradit Paul. Matth. Wehner. *pract. obs. lit. D. verb.* der gestalt: *& lit. W. verbum.* wie. Quare verò hi duo præ cæteris tantâ prorogatinâ donati fuerint, planum facient hæc, non mea, verba: Teutonicum Imperium cum duplici jure regeretur, Franconico & Saxonico, quorum hoc gentem Saxonicam, ad mare Balthicum & Sarmatiam; illud tractum Rheni, Franciam Orientalem

& Sue-

& Sueviam, sub qua etiam Bavariam, Austriamq; ad Alpes usq;, complectebatur; conveniens visum est, ut duo illi Palatini, Rhenensis & Soxoniæ, ceu proximi à Cæsare, veteri instituto, & peculiari muneris sui conditione, Imperatore mortuo vel absente, vice sacrâ, Regnum totum Teutonicum (quod κατ' ἐξοχὴν Imperium vocari solet) gubernarent. Marq Freher. *Origin. Palatin. cap. 15. §. & de vicariatu.* Idem *Not. ad Petr. de Andlo de Imp. Rom. lib. 2 cap. 10. verb. Comitat. sui privilegio.*

(n) Vocula QVOTIES, quæ in principio hujus tituli nostri legitur, & QUOTIESCVNQVE, QVANDOCVNQVE, & si quæ sunt similes, pluralitatem successivam denotant, consequenterq, infinitatem important, *arg. l. filia. 22. ff. de ann. legat. & fideicommiss. l. 1. §. hac autem ff. si famil. furt. fecisse dicat. l. si ita stipulatus. 55. ff. de fideiuss. & mandat.* Andr. Tiraquell. *de Vtroq. retract. municip. & convent. tit. de retraict. conventionel. §. 1. gl. 2. n. 18 cum seqq.* nisi materia subjecta aliud suadeat. Alexand. *cons. 145. n. 2. lib. 2.* Quia secundum hanc, adeóq; secundum juris dispotionem verba accipi solent & volunt. *arg. l. insulam. 6. ff. de præscript. verb. l. si stipulatus. 4. in pr. vers. verum si emptor. ff. de Vsur. l. quanquam. 62. ff. de ritu nupt.* Præterea Imperator etiam iurat, quod Electores in Vicariatus iure quietos & imperturbatos relinquere velit. Compactat. Rudolhpi II. cum Ratisb. in Reg. Roman. eliget. *§. cumprimis autem.* apud Melch. Goldast. *Polit. Imperial. par. 12. tr. 1.*

(o) Masculos scilicet, nec tamen omnes, sed filium primogenitum legitimum; illo autem non extante, ad eiusmodi primogeniti primogenitum. Quod si primogenitus huiusmodi absq; heredibus legitimis ab hac luce migret, ad seniorem fratrem laicum, per veram paternalem lineam descendentem, & deinceps ad illius primogenitum laicum devolvitur. A.B. *tit. 7. §. statuimus. & seq.* Quæstiones huc refero subsequentes.

QUAEST. I.

AN Principum Electorum Vicariatus includat & comprehẽdat illas provincias, in quibus Franconica Saxonicaq; jura jam observari desierunt?

Affirmantium urna calculum meum habiturit, & iure merito etiam aufert. Quamvis enim provinciæ reperiantur, quæ passæ sunt præmemorata iura à foro suo recedere, attamen Imperii Provisoribus, per id damnum inferri non debuit, imo nec potuit: Sufficitq; eo

tempore, quo Vicariatus privilegium primùm acquisiverunt, talia jura ibidem recepta & observata fuisse. Cum res potius ex origine, quã evẽtu æstimetur *l. si procuratorem. 8. in pr. ff. mand. l. 1. §. idem Pomponius. 13. & §. si servus. 30. ff. depos. l. si ex plagis. 52. in pr. ff. ad. L. Aquil.* Etenim istam juris mutationem non, nisi ex accidenti contigisse, nemo non videt, qui videt. Accidentia autem tantâ virtute haut pollent, ut rei substantiam transformare queant. Quod tralatitium est, probaturq; *arg. l. generaliter. 24. §. proinde 15 ff. de fideicommiss. libertat. fac. l. quæ extrinsecus. 65 ff. de verb. obligat.* Jacob. Menoch. *cons. 35. n. 19. lib. 1.* Neq; computandus est casus adventitius. *l. Iulianus. 6. ff. qui à quib. manum. lib. non fiant.* Nec res dicitur nova, quando accidentalia solum̃odo alterantur, substantiali forma remanente. Aym. Cravet. *cons. 223. n. 12. par. 2. fac. §. quod si frumentum. 28. Instit. de R. D.*

Quod si verò provinciæ quædam Vicario perpetuo particulari interim parere cœperunt, existimarem Imperii Provisores jurisdictionem suam interregni tempore ulterius ibidẽ exercere non posse: propter præclaram, quam talis adeptus est, potestatem: cujus memini *supr. concl. 2. lit. b.* Facit qud privilegium ex cõsuetudine & modo, quo quis eo utitur, amplietur, restringatur atq; declaretur: uti post alios à se allegatos tradit Andr. Knichen *de Saxon non provoc. jure & privileg. verb. Lit. provocat. nesci m. cap. 1. n. 133.* Eatenus autem valet, quatenus privilegiatus illo est usus. Fern. Vasq *illustr. contr. lib. 1. cap. 2. n. 6. par. 2.* Et in usu, occasione utendi oblatâ, amittitur. Hieron. Schurff *cons. 29 n. 1. cent 3.* Andr. Knich. *d. tr. verb. jus. cap. 2. n. 32. & seq.* Et hæc observatio, sive limitatio referri quoq; debet, ad illa, quæ dico superius hac ipsâ *concl. 5. lit. e.* Videantur Gerl. Buxtorf. *Dissertat. ad Aur. Bull. concl. 57 lit. d.* Dominic. Arum. *Disc. Acad. ad Aur. Bull. 3. th. 29.* Just. Sinolt. *de Imp. Rom. Vicar. Elector. &c. concl. 6. lit. b.* Martin. Rümel. *Aur. Bull. diss. 4. th. 14. par. 1.*

QUAEST. II.

AN Imperii Provisorum sententiæ, quas interregno durante, ut Provisores pronunciant, per appellationem reformari queant?

Quem contra Comes Palatinus Rheni, & Dux Saxoniæ, Principes Electores, tanquam Imperii Provisores sententiam ferunt, non potest exclamare cum B. Paulo: Cæsarem appello. Actor. 25. v. 11. Cæsaris enim

enim, & Proviſorum horum tribunal, unum eſt, ac idem, *arg. l. 1. cum l. ſeq. C. de offic. eius qui vic. alic. jud. vel præſid. obtin. c. Romana. 3. in pr. de appellation. in 6.* Ab eodem verò ad ipſum eundem appellatio inſtitui nequit. *c. non putamus. 2. de conſuetud in 6. fac. l. ille à quo. 13 §. tempeſtivum. 4. ff. ad SCtm Trebell.* Etenim, neq; imperare ſibi, neq; ſe prohibere quisquá poteſt. *l. pen. ff. de recept. arbitr. l. quod autem. 7. §. uxori. 8. ff. de donat. int. vir. & uxor.* Chriſtoph. Beſold. *de Appellation. cap. 4. n. 3.* Accedit quod Imperator omnia, quæ interregni tempore legitimè geſta ſunt, rata eſſe jubeat. *ſupr. concl. 3. lit. f. & ſeqq.* Omnia autem, quibus autoritatem ſuam accommodat atq; impertit, ſua efficit. *l. 1. §. ſed & hoc. 7. verſ. & nemo. C. de vet. jure enucl fac l. item ſi. 5. §. item quæritur. 9. verſ. ſed ratihabitio. ff. de negot. geſt.* Andr. Knichen. *de Saxon. non provoc. jure & privileg. verb. privilegium. cap. un. n. 5. cum ſeq.* Appellatio igitur ad quem dirigetur? Stultũ namq; eſt illud admonere à Principe appellare fas non eſſe, cũ ipſe ſit, qui provocetur; nec major eo in terris inveniri poſſit, ad quem eatur. *l. 1. in pr & Weſenb. parat. n. 1. ff. à quib appell. non licet.*

Aliàs Electoribus omnibus etiam hoc privilegium eſt indultum, ut ab ipſorum, officialiumve eorum ſententiis, appellatio nulla detur, niſi in caſu denegatæ juſtitiæ. A. B. *tit. 11. per tot.* Ordinat. Cam. *par. 2. tit. 26.* Quod tamen, Electore Saxoniæ & Brandeburgenſi excepto, apud pleroſque inuſu, vel quo alio modo in fumum ivit. Hier. Treutl. *ſelect. diſp. ult. th 4. lit. e. vol. 2.* Videantur Petr Heig *Iur. Civil. & Saxon. quæſt. 4. n. 31. & ſeqq. par. 1.* Theod. Reinking. *de Regim. Secul. & Eccleſ. lib. 1. cl. 4. cap. 6. per tot.* Chriſt. Beſold. *de Appellation. cap. 2. n. 19.* Juſt. Zinzerl. *de Appellation. concl. 70. & ſeqq. inter Baſil. diſp. 8. vol. 1.* Regn. Sixtin. *de Regal. lib. 1. cap. 5. n. 11. & ſeqq.*

QUÆST. III.

AN Comes Palatinus Rheni, & Dux Saxoniæ Principes Electores, Imperiique Proviſores, Majeſtatem, interregni tempore, habeant?

Dictator Romanorum, Magiſter populi aliàs dictus, Pomp. Feſt. *de verb. ſignific. lit. O. verb. optima lex.* ſummum habebat imperium, parebant ei Coſſ. provocare ab eo non licebat, imò jus de tergo vitâque delinquentis penes unum illum erat: ſed non ultra Kalendas ſextas. *l. fin. §. populo. 18. ff. de O. I.* Tit. Livius. *hiſtor. lib. 2. dec. 1.*

 Thom.

Thom. Smith. *de Republ. Anglor. lib. 1. cap.* 8. Maiestatem itaq; non obtinuit. Christ. Besold. *Synop. doctr. polit. lib. 1. cap. 2 n. 13 & seq.*

Nuptiæ, sunt consortium omnis vitæ, divini & humani iuris communicatio. *l* 1. *ff. de* R. N. *l.* 1. *ff. rer. amotar.* Imo duæ personæ, matrimoniali coalitione adeò concrescunt, ut unum corpus, caroq; una esse dicantur. Genes. 2. *v.* 24. Matth. 19. *v* 5. (Quod spiritualiter est intelligendum, ratione vinculi coniugalis, arctissimæ copulationis & individuæ consuetudinis, quæ inter illas est. §. *nuptiæ. Instit. de* P. P. Quatenus verò, non tam ratione coniugalis nexus, quam ut personæ, in civili societate versantes, considerantur, sunt etiamnum corpora duo, personæque diversæ: quarum utraque res suas, & iura sua, huic aut illi peculariter competentia habet. Andr. Kohl. *de Servit. feudal. par.* 3. *n.* 17.) Unde Princeps extraneus, connubiali dextera sibi jungens fœminam heredem Regni, quod se colos inter distrahi patitur, æquâ imperandi potestate, cum uxore suâ, uti incipit; sed quæ evanescat, quam primum uxor in fatalem horam, ultimamque rerum lineam pervenit. Maiestatem itaque non consequitur. Christ. Besold. *Colleg. Polit. disp.* 5. *th.* 11. *cl.* 1, Idem *Politic. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 11. *v.* 1. *& seq.*

Pari planè modo Romano - Germanici Imperii Provisoribus, Maiestas, Imperio vacante, adiudicari haut potest. Quia summam Imperatoriæq; potentiæ fermè per omnia, & in omnibus pariatam potestatem, quâ fruuntur, deponere coguntur, quam primùm Rex Romanorum, Imperarori è medio sublato, surrogatur: quod etiam intra certum tempus fieri debet. A. B. *tit.* 1. *& seq supra. concl.* 3. *lit. a.* Unde Vicarii temporales, quales etiam revera sunt, appellantur à Theod. Reinking *de Regim. Secul. & Eccles. lib.* 1. *cl.* 3. *cap.* 14. *n.* 49. Majestas autem ut sit, ex potestate summâ, perpetuâ legibusque solutâ constituatur, necesse est. Joan. Bodin. *de Republ. lib. 1. cap. 8. in pr.* Eaque salva nec fingi, nec pingi potest, si una illarum potestatum deficiat: tam firmo, & adamantino, fortiori vinculo conglutinantur. Thom. Lans. *Disc. de L. Reg. concl.* 45. *& seqq.*

Interim tamen Imperii Electores, & vel maximè hi Provisores, tantâ autoritate refulgent, ut qui eorum in necem coniurationem coquere non veretur, per eius, ceu Maiestatis læsæ rei, corpus inambulent pœnæ *l. quisquis.* 5. C. *ad L. Iul. Majest.* (de quibus post alios videri potest Andr. Knichen. *de Saxon. non provoc. jure &*

privil.

privil. verb. Ducum Saxoniæ cap. 5. n. 437. & seqq.) Quia Imperii Imperatorisque pars maxima esse censentur. A. B. *tit.* 24. Jul. Pac. *Epit. Iur. disp. 28. th. 22. sub. fin.* Ihre Hoheit vnd authoritet ist mit eines Römischen Kaysers Gewalt vnd Hoheit/daher sie auch fleust/ dermassen verbunden/ das eine ohne die ander nicht verschmälert werden/ auch ohne die ander nicht bestehen kan: ut quodam Rudolphi II. decreto contineri refert Domin Arum. *A. B. disc. 4. th. 1. fol. 192.* Aliàs etiam, qui Magistratui alicui minori injuriam facit, is haut dubiè Principis ipsius majestatem lædit. Carol. Paschal. *Axiom. politic. ex Taciti annal lib. 1. verb non præfecto.* Facit §. *patitur. 2. Instit. de injur. l. eum qui. 18. §. si nupta. 2. ff. eod. l. isti. 8. §. fin. ff. quod met. causa gest. e it.* Videantur Joan. Bodin. *de Republ. lib. 1. cap.* 8. Petr. Heig. *Iur. Civil. & Saxon. quæst. 4. n. 24. & seqq. par.* 1. Joach. Mynsing. *resp. 44. n. 14. dec.* 5. Christ. Besold. *Politic. lib. 2. cap. 2. n. 30. & seq.* Joann Harpr. *ad §. publica. 3. n. 15. & seqq. Insti: de publ. judic.* Regn. Sixtin. *de Regal. lib. 2. cap. 20. n. 26. & seqq.* Andr. Knichen. *de Saxon. non provoc. jure & privil. verb. Ducum Saxoniæ. cap. 5. n. 481. & seqq.*

TEXTUS.

Et quamvis Imperator, sive Rex Romanor. super causis, pro quibus impetitus fuerit, habeat, sicut ex consuetudine introductum est, coram Comite Palatino Rheni, Sacri Imperii Archidapifero, Electore Principe respondere:

CONCL. VI.

ANtiquatum est, (a) ut Romano-Germanicus Imperator (b) Principum Princeps, Christianique nominis splendor, (c) ab inferiori pulsatus, (d) Comitem Palatinum (e) Imperii Archidapiferum Electorem Principem (f) judicem ordinarium habeat, (g) & hic solus li[illegible]em illam dirimat. (h) Idem verò accusatus, (i) toti Electorali Collegio sistitur, (k) & si res ita poscat (l) Imperatoris nomine & numine nudatur. (m) Hoc autem casu Statuum reliquorum consilium meritò etiam adhibetur. (n)

(a) Ex consuetudine introductum, Von alter gewonheit/ ut verba textus sonant. Quo sensu (licet satis novè atq; inusitatè) locutio hæc reperitur *c.un.2.FF.107*. Aliàs Antiquatum jus dicitur, quod rā est abolitum & desuetudine abrogatum. Conr. Rittersh. *partit. jur. feud. lib. 2. cap. 1. quæst. 34.*

(b) Textus addit, Sive Rex Romanorum: Germanicus habet Kayser als Römischer König. Et ab hoc non dissentit Specul. Saxon. *gl. germ. lib. 3. art. 52. verb.* Wenn man Klagt vber den Richter. Verùm cùm Rex Romanorum in specie sic dictus coram Imperatore forum sortiatur, Nicodemica Judaicavè istius voculæ acceptio locum hîc invenire non potest. Aurea Bulla id ipsum attestari non recusat, dum Imperatoris & Regis Roman. nomen plerunq; confundit, unumq; pro alio ponit, quemadmodum eam lecturus passim deprehendet. Tum etiam, non tam verba, quam rei natura in considerationem trahi solent: quæ etiam admodum frequenter offenduntur, & impropriantur, quò secũdum subiectam materiam intelligi queant. Accurs. *in l. actorum. 46. in fine. ff. de rejudic. & effectu sentent.* Aym. Cravet. *cons. 202. n. 38. par. 2. per l. si uno. 4. ff. locati cond. l. insulam. 6. ff. de. præscrip. verb. & in fact. act. l. miles 75 in pr. l. cum pater. 77. § donationis. 26 ff. de legat. 2.* Videntur huc quadrare, quæ scribit Georg. Sigism. Seldus *Consil.* oder bedencken an Kayser Ferdinanden wie deß Baysts *Pij V.* Vnbilligen anmassen zu begegnen sey: *quæst. 3. §.* Ja es haben woll etliche. *& seqq. edit. Froncof. de anno 1612. fol. 78. & seqq.*

(c) Imperatoris titulos & epitheta ex toto juris corpore collegit Rest. Castald. *de Imperat. quæst. 2. per. to.* Hic positis, Imperatorem Fridericũm III. condecoravit Thad. Quirin. Patric. Venet. *Orat. gratul. in pr.* Nec sanè frustra est. Etenim dominantes reliqui eum iure suspiciunt, quasi in eo singulare aliquid inesse cognoscant: quemadmodum Theodoricus Rex Imp. Anastasio scribit apud Aurel. Cassiodor. *variar lib. 1. epist. 10.* Atq; ita, quibus imperare non potest, venerationis iura imponit. Christ. Besold. *de Appellat. cap. 4. n. 4.* Quid? Annõ Imperator in toto hoc universo, omnibusq; eius partibus, Imperii & iurisdictionis intuitu fundatam intentionem habet, ita ut Reges alii, & Resp. liberæ eum pro domino & superiori recognoscere debeant, quamvis de facto recusent? Annon eius est totum illud spatiũ, quà pluitur, quà ningitur, quà fulminatur? Sabbathina hæc est quæstio, (sub quo titulo Roffredus Beneventanus librum in lucem emisit; quẽ

D. Joach.

D. Joach. Clutenii bibliotheca, ut plures alios, liberaliter mecum cōmunicavit) hoc est, dubia & obscura, *gl. l. fin. verb. missus. ibid. Sichard. n. 26. C. de Edicto D. Hadr. toll.* sive, die Sabbathi tractanda, hoc est, religiosè & circumspectè: cum in utramq; partem probabiliter aliquid dici posit: post Fulgos. Ernest. Cothm. *cons. 44. n. 45. vol. 1.* Ego itaque subsistens iudicium suspendo: & plura scire desiderantem ablego ad *Clem. pastoralis. 2. ibi gl. verb. districtum imperij. de sent. & re judic.* Dion. Gothofr. *ad l. 1. lit. l. C. de Sum. trinit. & fide cathol.* Barth. Chassan. *Catalog. glor. mundi par. 5 consid.* 28. Rest Castald. *de Imperat. quaest. 52. & seqq.* Fern. Vasq. *illustr. contr. lib. 1. cap. 20. par. 1.* Joach. Cluten *Syll. rer. quotid. concl. 9. & seqq.* Christ. Besold. *de Idict. Imp. Rom. quaest. 6. per tot. & de Appellat. cap. 2. n. 7. & seqq.* Mart. Mager. *de Advocat. arm. cap. 3. n. 72. & seqq.*

(d) Conventus, sive ob pecuniariam causam in ius vocatus *l. voluit. 4. in pr. & l. de aetate. 11. §. qui interrogatus 9. ff. de interrog. in jure faciend.* Quod textus noster se ipsum ita declaret, scribit Herm. Vult. *ad l. 1 n. 6. C. ubi senat. vel clariss. civil. vel criminal. conven.* Veritati itaq; convitium non faciunt, qui idem docent, quos inter Ant. Hering. *de fidejuss. cap. 7. n. 291.* Christ. Besold. *Politic. lib 1. cap 8 n. 12.* Bened. Carpzov. *de L. Reg. German. cap. fin. n. 7. & seqq.* Gothofr. Antón. *Disputat. de potest. Imp. th. 28. apud* Melch. Goldast. *Polit. Imp. par. 13. tr. 2.* Quir. Kubach *Iur. supr. Germ. publ. cap 30. n f. apud* Dom. Arum. *de jure publ. disc. 35. vol. 2.*

(e) Germanice vor einem Pfaltzgraven/ quod nomen rei huic maximè conveniens est, iuxta § *est & aliud. 3. Instit. de donation.* Etenim Pfaltz à Pallast descendens, Seb. Munst. *Cosm graph. lib. 3. cap. 351.* nihil aliud, quam Imperatoris Curiam denotat. Odofr. *ad l. fin. C de rescind. vendit.* Specul. Saxon. *gl. germ. lib. 3. art. 62. in pr.* Ita Argentoratum etiamnum nomenclaturâ hac uti, & iudicii locum, alibi Rahthauß appellatum, hic Pfaltz vocari audimus. Deinde Grave Saxonibus antiquis iudex fuit. Specul. Saxon. *gl germ. lib. 3 art. 53 verb.* iegliches Teutschlandt. Quam significationem in Longobardorum legibus perpetuò obtinet, teste Seb. Munster. *d. lib. 3. cap* 20. Sic Vienna Austriae hodie etiam Spielgraven vocat, qui in tibicines, & his similes iurisdictionem exercet. De Comitibus Palatinis plura scire desiderans consulere potest Hub. Thom. Leod. *Commentat. de Palatin. Orig. per tot.* Marq. Freher. *Origin. Palat. cap. 1. & 2.* Regn. Sixtin. *de Regalib. lib. 2. cap. 17. n. 10. & seqq.* Christoph. Lehman, Speyer: Chron. *lib. 2. cap. 9.*

(f) Quis

(f) Quis, ex tot Palatinis, judicis personā hic induere debeat, certò demonstrare voluit, *ut supr. concl. lit. n. & concl. 5. lit. a.*

(g) Ordinarius revera est, quia lege datus. *l. 1. in pr. de offic. ejus cui mand. est jurisd.* Atenim Imperatoris Judex est, quando ut Imperator convenitur, aliàs in foro sortiendo utitur eodem jure, quo quilibet alius, nulla Imperialis superioritatis ratione habita. Herm. Vult. *ad l. 1. n. 9. C. ubi Senat. vel. clariss. civil. vel crimin conven.* Hinc Imperator Carolus V. tanquam Archidux Austriæ in Camera conventus sibi ipsi mandasse legitur hunc in modum: Wir Carl &c Römischer Kayser/ entbieten die Carl Ertz-Hertzogen von Oesterreich &c. referente Gerl. Buxtorf. *Dissert. A. B. concl. 64. lit. b. in fine.* Quis verò Judicis partes sustinebit, quando Imperator actor, alium in jus vocare necesse habet! Jurare enim tenetur, quod, si quam habeat actionem in Statum aliquem, legibus experiri velit: uti est inter leges, quas Electores Carolo V. præscripserunt, apud Joan Sleidan. *loco quem laudo supr. concl. 2. quæst. 1. in fine.* Hic distinctionibus aliquot opus est, quæ videri possunt apud Gerl. Buxtorf. *d. lo. concl. 82. & seq.* Mart. Rumel. *A. B. diss. 5. th. 11. & seqq. par. 1.*

(h) Neque Electorum quisquam penitus in hoc habere debet participium, uti loquitur Imp. Justinianus *Nov. 117. cap. 1. à pr.* Quare autem & unde præeminentiam talem consecutus sit studiosissime indagant, Marq. Freher. *Not. ad Petr. de Andlo de Imp. Rom. lib. 2. cap. 10. verb. illud insigne privilegium.* Gerl. Buxtorf. *Dissert. A B. concl. 78. & seq.*

(i) In querimoniam criminalem vocatus, dicente Imp. Zenone *l. fin. §. ult. C. Ubi Senator. vel clariss. civil. vel crimin. conven.* Non tamen propter causas, quas confingit Specul Saxon. *lib. 3. art. 57. in pr. ibi gl. germ. verb.* Den Kayser mag der Bapst.

(k) Rupertus Palatinus Rheni Imperii dignitatem, socordiamq; Imperatoris Wenceslai (dessen Leib war krumb / das Gemüte thumb/ Seb. Münster. *Cosmograph. lib. 3. cap. 19. Imp. 40.*) considerans & animadvertens, Electores reliquos convocavit, Christ. Lehman Speyer. Chron. *lib. 7. cap. 59.* Zeloq; commotus eum deponi curavit. Joann. Naucler. *Chronograph gener. 47. vol 2. edit. Colon de anno M. D. XLIV. fol. 914.* facit. *c. non po est 3. extr. de sentent. & re judic.* Specula Saxonicum & Suevicum, Hainr. Steronis, ut & Hainrici Rebdorffii annales nonnulla exhibent legenda, quæ innuere videntur, Imperii Archidapi-

chidapiferum tali etiam casu, solum debere esse judicem. Quibus generalitas nostri textus, criminalium & civilium causarum distinctionem penitus reticentis, suffragari cupit. Verum quo modo, quâve viâ ista in concordiam se redigi non recusent, monstrant Gerl. Buxtorf. *Dissert. A.B.concl.81.lit.b.* Just. Sinolt. *de Rom. Imp. Vicar. Elect. &c. concl 8.lit.a.& b.* Mart. Rümel. *A. B. diss. 5. th.7.par.1.*

(l) Quando iusta maximaq; subest causa, & omnibus ad emendationem profuturis mediis tentatis nihil efficitur aut proficitur. *arg. c. qualiter. 24. extr. de accus. inquisit. & denunciat. c.non potest. 3. extr. de sent. & re judic. c.ad Apostolica. 2. ibi gl. verb. gravissima. eod. in 6.* Nicht ohne mercklich/ hochwichtige vhrsachen vnd verbrechen. Georg. Sigism. Seld. *Consil.* oder bedencken an Kayser Ferdinanden / wie deß Bapsts *Pij V.* vnbillichem anmassen zu begegnen sey: *quæst. 2.* §. Zum neunden wo die. *edit. Francof. de anno 1612 fol. 49.* Iungatur. Christ. Lehman Speyer: Chron. *lib. 7. cap. 56.* Cum enim sine maximis periculis deponi non possit, subtrahendum aliquid est severitati & rigori juris. *arg. c.1. ibi gl. verb. cum multitudine. dist. 44. c. ut constitueretur. 25. ibi gl. verb. detrahendum est. dist. 50 can. ult. in fine. caus. 9. quæst. 1.* Neq; correptio potest esse salubris, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem. *can. non potest. 32. in pr. caus. 23. quæst. 4.* Unde in Regum vitâ & moribus occultiora vitia sunt dissimulanda, dubia molliùs interpretanda, manifesta eatenus ferenda, dum perniciem publicam secum non trahunt. Christ. Lehman. *alleg. chron. lib.2. cap.34.* Priora Dei iudicio sunt dimittenda, & de reliquo maximâ sollicitudine præcavendum. *can. quoties. 14. caus. 1. quæst. 7.*

(m) Carolum III. quē crassum dixere, Magnates repudiarūt. Benev. de Rambald. *lib. august. in Carolo. crasso* apud Marq. Freher. *Germ. rer. Script. tom. 2. fol.* 10. Christ. Lehman. *d. lib. 2. cap.* 44. Adolphum Nassaviensem Imperii Electores iure imperiali per sententiam privaverūt. Joan. Naucler. *Chron: groph. gener.* 44. *vol. 2. alleg edit. fol.* 867. Wenceslai depositio in macello & balneis quoq; notissima est. Sed in his meritò præ aliis, quia ipse balneatores reliquis opificibus mechanicis honestis pares fecit, insuperq; certa insignia eis est largitus anno 1406. ceu docet Kayser Wenceslaws Constitut. vber der bader befreyhung: apud Melch. Goldast. in Reichs Satzungen *par. 2. fol.* 82. Id quod sine dubio fecit in gratiam ancillæ, quæ, famulitii operam in balneis elocans, eundē captivum è custodum potestate scaphâ abduxit, laribusq; patriis redditum cupito concubitu exhilaravit: de quo Christ. Lehman Speyer:

G Chron:

Chron: lib. 7. cap. 61.

(n) Omnes quod tangit ab omnibus meritò approbatur *l. nā ita.39.ibi gl.verb. qui læderētur. ff.de adoption.l.in concedēdo.8. ibi* Gothofr. *lit.a.& l.si autem.10.in pr. ff. de aqua & aqua pluv. arc. c. quod omnes. 29. de R.I.in 6.* Electores Wenceslaum ignavum depositi uros Statuum reliquorum consilium non posthabuisse, attestantur literæ quibus Electores Rhenani Spirensibus exautorationem istam intimarunt, ibi: Das haben wir Jhn mit anderer Fürsten vnd Herrn / zu dem Heiligen Reich gehörig / vmb die vergente / vnd viel Kündtlicher anderer trefflichen gebresten vnnd missethat / damit Er sich deß Heiligen Römischen Reichs vnwürdig gemacht hat / abgethan *&c.* apud Christ. Lehman Speyer. Chron: *lib.7. cap. 72.* Quæstiones huc refero subsequentes.

QVAEST. I.

AN ad Comitem Palatinum Rheni Principem Electorē pertineat litis, inter Imperatorem ejusque beneficiarium, de feudo aliquo exortæ, decisio?

Sunt qui Palatino Rheni Imperij Archidapifero cognoscendi facultatem adjudicāt, quos sequi voluit Regn. Sixtin. *de Regalib.lib.1.cap. 8.n.52.& seq.* Sunt deinde qui statuunt Imperatoris sublimius axioma in hoc splendicare, ut solus, tali casu, cognoscat & judicet: quorum aliquot refert Andr. Knich. *de jure territ. cap.6.n.3. & seqq.* Verùm neq; ad hunc, neq; ad illum litigij talis cognitionem pertinere, magis placet. Etenim si inter Dominum & Vasallum de feudo orta fuerit contentio, per Pares illius domus, sicut lex Corradi dicit, dirimi debet: *c.un.per tot. 2. FF. 16. c. un. §. si inter.2. FF. 29.* Joan. Barcholt. *Comment. Consuet. feud. cap.10.n.6.& seqq.* Hæc Parium Curtis jurisdictio, à lege, sed per modum electionis à partibus factæ, tributa, ordinaria est: Dnn. Ingolstad. inter Claud. Cantiun. *cons.27.n.111.& seqq.* Andr. Gail. *pract.obs.1.n.54.& seq.lib.1.* Imperator itaq; eo ipso, quòd inferiori feudum concedit, Parium Curiæ jurisdictioni lubens & sciens se submittit: cum conditionem hanc ignorare haut queat, imò nec debeat. *arg. l.si Titius.48.in pr.ff.de fidejussor.& mandat.l.qui cum alio.19.ff.de R. I.* Contrahentes autem legum autoritati atq; dispositioni se conformare intelliguntur: *arg. l.cum quid mutuum.3.ff.de reb. credit.* Videantur Ludolph. Schrader. *tract.feud.par.10.sect.5.n.40.& seqq.* Joach. Mynsing. *sing.obs.99.Cent.1.obs.89.Cent.4.obs.75.Cent.5.* Henr. Vult. *de Feud. lib.2.cap.2.n.33.& seqq.* Theod. Reinking. *de Regim. Secul. & Eccles. lib.1. cl.4.cap.5.n.2.& seqq.* Joan. Godd. *Feudal. disp. 11.th.8. lit. b.*

QVAE-

AN Imperatoris Romano - Germanici Majeſtas imminuatur, quod Imperij Archidapiferum judicem habere cogatur?

Ioannes Bodinus Gallus, Politicorum Exarchus affirmatum it. Aſt Bodinum, Imperatorum Romanorum, aliorumq; exterorum Regum laudibus nimium detrahendo ſæpiſſimè turpiter errare, ſcribit Thom. Lanſ. *Diſc. de L. Reg. concl.* 44. Sunt deinde etiam Gemani quidam, ſed mentè ſpuriâ prædіti, in patriam ingrati, qui Bodini mendacijs mantellum circumponentes, ſtrenuè cum eodem contra Imperij majeſtatem ſtylo digladiantur, nèc non ſummum illud Imperij, & totius Chriſtiani orbis Caput voce, càlamoq; deprimunt: quemadmodũ dicit Illuſtriſ. Rudolph. Maxim. Dux Saxon. apud Illuſtriſ. Frider. Achil. Duc. Würtenb. *Conſultat. de Princip. Provinc. Europ Orat. cont. Gall. fol.* 295. *lin.* 4. *cum ſeqq.* Per Deum, parum benè, ſi non peſſimè, illi faciunt. Statuo igitur, per id, quod Imperator conventus in Comitis Palatini judicio de juſtitia reſpondet, Majeſtaticum Aquilæ noſtræ corpus nihilo plus emaciari aut attenuari, quam Reginæ volucrum oculus acutiſsimus Solis meridiani radiis hebetari ſolet. Fieri namque poteſt, ut Princeps Maieſtate quodammodo depoſitâ, Magiſtratum de causa ſuâ iudicare iubeat. Quia iure receptum eſt, ut par, maiorvè, poteſtas, iudicium accipiat, ſi ſe alterius iuriſdictioni ſubmittat. *l. eſt receptum.* 14. *ibi gl. verb. major. ff de Iuriſd. omn. judic. l ille à quo.* 13. §. *pen. verſ. ſed ſi iuriſdictioni. ibi gl. verb. ſubjic: ant. ff. ad SC. Trebell. c. nos ſi incompetenter.* 41. *ibi. gl. verb. aliena. cauſ.* 2. *quaſt.* 7. Neque aliter ſentire & docere potuit ipſe Joann. Bodin. *de Republ. lib.* 3. *cap.* 6. Præterea conſtat, quod Galliæ Reges etiam, ut omnem ſuſpicionem iniquitatis à ſe depellant, æquè ac privati, legibus atq; iudiciis patriis acquieſcere ſoleant. Illuſtriſſ. Joachim. Erneſt. Heres Norvveg. apud Illuſtriſſ. Frider. Achill. *alleg. Conſultat. Orat. pro Gall. fol.* 191. *lin.* 11. *& ſeqq.* Conſtat, quòd illis ipſis à Parlamentis ius dicatur, & ita nonnunquã cauſa cadant. Dion. Gothofr *ad rubr. tit. b. C. ne quis in ſua cauſa iudic.* Cõſtat, quòd novæ nobilitatis codicilli nõ valeant, niſi à Magiſtris ratiociniorum Pariſ. comprobentur. Renat. Choppin. *de Doman. Franc. cap.* 63. *n.* 3. laudatus à Marq. Freher. *Not. ad Petr.*

de Andlo de Imp. Rom. lib. 2. cap. 11. verb. Imp. & Reges. Constat quòd Parisiensis Curiæ judices Francisci I. optimi ac clementissimi Regis edicta impunè, & quidem sæpissimè, reiecerint: teste ipso Joan. Bodino *de Republ. lib. 2. cap. 5.* Exindenę maiestatis liliatæ candor nigrescit & depreciatur? Nega, nega, aut Dictatura Bodiniana te Maiestatis reũ certò pronunciabit: nec fortean immeritò. Unde Bodinus etiã, si bonus esse, quàm videri mavult, non renuat pari iuri locum concedere, ubi par militat ratio: iuxta *l. pen. §. ult. ff. de jur. & facti ignor. l. sive ingenua. 2. §. quid si. 29. ff. ad. SC. Tertyll.* cũ lex enucleari, non etiã extendi dicatur, ubi ratio eadem reperitur. Aym. Cravet. *cons. 183. n. 3 par. 1.* Quod si verò reluctari velit, conqueri etiam desinat, quod appelletur Andius sine bono, per anagrammatismum, à Jac. Cuiac. *observ. & emendat. lib. 18 cap. 38.* non sat æquus Germanorum censor, ab Andr. Knichen. *Encyclop. Brunov. cap. 1. n. 249.* Germanici nominis hostis, à Joan. Harpr. *ad epigrap. præm. Institut. n. 15.* Videantur Joach. Cluten. *Fasc. Histor. Polit. parad 5. & 10.* Idem *Syll. rer. quotid. concl. 16. lit. c.* Dominic. Arum. *Aur. Bull. d sc. 3. th. 45.* Gerl. Buxtorff. *Aur. Bull. Dissert. concl.* 80. *per. tot.*

QVAEST. III.

AN Majestas ex plenitudine potestatis alteri suum, quandocunq; & quomodocunq; libet, auferre possit?

Solenne est, quam plurimis summæ rerum præfectis, ut sibi imaginentur, subditos, eorumq; bona in manu mancipioq; suo esse. Et Monarcha Herilis minus fortean peccat, si, quodlibet, sibi licere putet. Joan. Bodin. *de Republ. lib. 2. cap. 2.* Unde Tyrannus legitimus non rarò etiam vocatur. Christ. Besold. *Colleg. Polit. disp. 5. th. 20. cl. 1.* Idem *Politic lib. 1 cap. 5. n. 20.* Regalis Monarchæ autem illius vestigiis insistere neq; debet, neq; potest: sed potius statuet sibi dictum esse, quod Imperatori Valentiniano D. Ambrosius respondit: *Domum privati nullo potes jure temerare*: quemadmodum ejus literæ ad Marcellinã sororem scriptæ attestantur *epist. 33. lib. 5.* Quo pertinet illud vulgatũ, quod nostrates ita effantur: Die Kayserliche Hocheit erstrecket sich nicht zur ungerechtigkeit und unbilligkeit. Hinc quidam docuêre, quod Princeps, ubi delinquenti duplex pœna cõstituitur, ita, ut altera parti, altera fisco applicetur, hanc solummodò, nõ etiã illã remittere & condonare queat; quia furti speces sit, liberalitatem de alieno exercere. Petrus

trus & Cynus laudati à Joan. Sichard. *ad l. quicunque 4. n. 20. & ſeq. C. de ſerv. fugitiv.* Princeps igitur ſine causâ cruciatum nemini impingat, hoc eſt, bona ſua auferat; quia conſentaneum eſt, graves cruciatus in bonorum amiſſione ſuſtineri; uti loquitur Imp. Leo *Novell. 64.* Quod ſi tamen facit, cogitet Rhamnuſiam Nemeſin certò affuturam & cruciatus viciſſim impreſſuram. Exempla docent. Ahab & Jezabel ablatione privati patrimonij in ſubditum inframentes, ſagittam, canumq; lanienam fuerunt experti. 1. *Reg. 21.* 2. *Reg. 9.* Caroli Andevagenſis, à Papâ, magnificentiſſimo alieni largitore, utriusque Siciliæ Regno donati, Officiales, quos eò ablegarat, omnem ſubditorum ſupellectilem excutientes, ſibiq; omnia in omnes licere putantes veſperum ſiculum tandem habuerunt: poſt alios Illuſtriſſ. Rudolph. Maximil. Dux Saxon. apud Illuſtriſſ. Frid. Achill. Duc. Würtenb. *Conſultat. de Princip. Provinc. Europ. Orat. cont. Gall. fol. 282. & ſeqq.* Ecce, quomodo diſparere & diſperire ſoleant perperam dominantes. Idque juſto Dei judicio tribuunt, qui providentiam divinam profundiùs ſcrutantur. Hæc ſunt veriſſima; interim tamen, ubi Reip. neceſſitas poſtulat, Majeſtati liberum eſt, non ſolum homini nequam, ſed etiam viro bono, proprium agrum, propriasq; poſſeiſiones auferre. Aym. Cravet. *conſ. 264 n. 10. par. 2.* Et quamvis id ſingularibus hominibus videatur eſſe damnoſum, minus tamen malum eſt, privatos viros luere, quàm Remp. peſſundari. Æn. Sylv. *de ortu & autorit. Imp. Rom. cap 17. per tot.* Atenim non niſi parciſſimè aliis quicquam auferat, neque voluptatem pro utilitate ſequatur. Imperator Auguſtus exemplo præivit, dum forum anguſtius facere maluit, quam proximas domos poſſeſſoribus extorquere. Sueton. *in D. Oct. Auguſto cap. 56.* Videantur Dd. ad *l. quoties. 2. C. de precib. Imper. offerend.* Reſt. Caſtald. *de Imperat. quaſt. 98. & ſeqq.* Alexand. *conſ. 136. n. 1. & 12. lib. 1.* Fern. Vasq. *illuſtr. contr lib. 1. cap. 5. per tot. par. 1. & lib. 1. cap. 1. & 2. par. 2.* Læl. Zech. *de principat. ejusq; adminiſtr. lib. 1. cap. 5. n. 5. & ſeq.* Philip. Matth. *ad l. id quod noſtrum. 11. n. 50. & ſeqq. ff. de R. I.*

TEXTUS.

Illud tamen judicium Comes ipſe Palatinus non alibi, præterquam in Imperiali Curia, ubi Imperator, ſeu Romanorũ Rex præſens extiterit, poterit exercere.

IMperatoris conventi (a) secretarium (b) alibi non, quam ubi ipse præsens reperitur, constitui potest. (c) Eidem vero accusato (d) Electores pro suo arbitrio tribunal determinant. (e) Antiquitus ad Rheni fluminis ripam publica Imperii negotia potissimum deliberata & expedita fuisse ex historiis discere licet. (f)

(a) Imperatoris tam pulsati, quàm accusati judices in præcedentib. sunt constituti; hic, judicii locus determinatur. De Comite Palatino Rheni, Saxoniæq; Duce Imperii Provisoribus quid statuendum? Hos interregni tempore conventurus, ubi, & quem judicem inveniet? Distinctionis cuneo nodus hic diffindi debet, quem habet Gerl. Buxtorf. *Dissert. A. B. concl. 65. per tot.*

(b) Aula, in quam judices conveniunt. *l. fin. in fine pr. & §. fin. ibid.* Gothofr. *l. 5. & 6. C. ubi senat. vel clariss. civil. vel crimin. conven.* Auditorium, dicere maluit Paulus noster *l. lecta. 40 in pr. ff. de reb. credit.* Sacrum auditorium, Impp. Theodos. & Valent. *l. præcipimus. 32. C. de appellat. & consultat.* Jus, quoq; vocari potest. *l. pen. vers. alia. ff. ff. de I. & I. l. voluit. 4. in fine ff. de interrog. in jure faciend.* Vulgò appellitant Forum competens; Nostrates, Handtmall/ eine bequembliche/ ordentliche Gerichts-stat: quasi eo loco se juri obtemperaturum manu propriâ quis juraverit. Joan. Oldendorp. *de Cop. verb. & rer. Jur. verb. Feudum. §. forum.*

(c) Germanicus textus noster habet: Jedoch soll der Pfaltzgrave dasselbig sonst nirgents haben noch suchen / dann an einem Kayserlichen Hoffe / oder wo der Kayser oder Römische König gegenwertig ist. Imperatorem igitur conventurus, haut potis est usurpare priscum illud Romanis usitatissimũ: In jus veni, sequere ad tribunal: sed potiùs necesse habet Judicem urgere, ut ipse conventum sibiq; sistendum quærat. Hinc, hujus & præcedentis textus frustilla juncturus, animadvertet, Imperatorem fermè ipsum in propriâ causâ judicare videri: Ibi namq; is, qui Imperatori à consiliis, & quasi pars proprii corporis est, judicis personam sustinere jubetur: Hic, ut reus judicem accedat, cogi vetatur. Atenim illud mirandum non accidet cogitanti, Majestatem in causâ propriâ judicem esse posse: uti inter-

Interpretes communiter docent, *per l. & hoc Tyberius. 14. ibi* Gothofr. *lit. 1. & l. ff. de hered. instituend.* Bartol. *ad l. un. ibid.* Gilken. *n. 2. C. ne quis in sua causa judic.* Johan Sichard. *ad l. extat. 13. n. 15. ff. quod vi met. causa gest. erit*; quam explicat post *l. si per impreßionem. 11. C. de his, quæ vi metusve causa gesta sunt.* Fern. Vasq. *illustr. contr. lib. 1. cap. 45. n. 8. par. 1.* Fr. Marc. *decis. aur. quæst. 1297. n. 7. par. 1.* Quo facit, quod apud Grammaticos Imperativus modus primâ personâ careat. Hoc interim addunt, Maiestatẽ consultius & honestius facere, si aliis hoc committat. *arg. can. nos si incompetenter. 41. ibi gl. verb. aliena. caus. 2. quæst. 7. gl. c. cum venissent. 2. verb. judicari. extr. de judic.* Jas. *ad l. est receptum. 14. n. 5. ibid.* Zas. *n. 9. ff. de Jdict. omn. judic.* Joan. Sichard. *ad l. 1. n. 2. & seq. C. eod.*

(d) Imperatorem accusatum, criminisq; convictum degradari superius dico; idq; certi & indubitati juris esse ait Ludolph. Schrad. *tract. feud. par. 4. cap 1. n. 19.* Longè verò aliam pœnam Saxonici iuris glossographus somniat, quam ipsius verbis, huc transscriptis, referre lubet: Wann er/der Kayser/der dreyer dinge eins vberreunden würde/ (intelligit causas, quas enumerat Specul. Saxon. *lib. 3. art. 57.*) so soll man vber jhn richten/ vnd jhm das Haupt abschlagen mit einer gulden parten. Vnd das soll thun der Pfalzgrave von dem Rhein / der dem Lande zu einem Richter vber den König gegeben ist. Weichbild. *gl. art. 8. verb.* Hierumb mag er sein Leib. Huic adstipulatur Marx Wagners Vrtel vber einen Römischen Kayser im Buch von deß Adels ankunfft/ im bogen *F. pag. 1. fac. 2.* ubi hæc habentur: Die Churfürsten seind gleich das Aug im Heiligen Römischen Reich / die haben nicht allein macht jhm einzureden / mit erinnerung deß Aydts / den jhr Kay. Mayt. dem Reiche gethon / sondern auch auß redlichen vhrsachen abzusetzen. Ja wann die verwirckung darnach wer / als im Sachsenspiegel zufinden/ solle der Pfalzgrave am Rhein/jhm das Haupt mit einer guldenen parten/ vber eines Schildes rand/abhawẽ. Dann wie die Historienschreiber gedencken / so habẽ die altẽ teutschẽ Kayser/sich lassen eine guldene axt/ wie noch jetziger zeit ein bloß Schwert fürtragẽ/ nach gebrauch der alten Römischẽ Burgermeister/mit der sie die vbelthäter hinrichtẽ lassen: davon mag die ordnung entstandẽ sein/wañ ein Kayser es so gröblich verwircket/das man den eben mit der parten oder axt jhn solte rechtfertigen/ mit welcher er andere Mißthäter ließ hinrichten. Hæc sunt Wagneri verba, quæ appendicis loco apposuit Nicodem. Frischlinus in seiner grundtfesten/warhafften vnvermeidlichẽ Antwort/auff ein erdichtes geschrey/

geschrey / so wider jhn allenthalben erschollen / betreffend / den Teutschen Adel. Ecce, VIIvirum nobilissimam Imperii columnam, quem Imperatores, Ordinesq; Imperii omnes Judicem constituerunt, hi carnificem faciunt. Sie machen auß dem Richter einen Scharffrichter. Quomodò conveniunt? Annon injuria est? Annon merentur, ut canem aut sellam portent? quam pœnam Francorum & Sueverum consuetudine olim receptam fuisse attestantur Joann. Wilhelm. von Rettwitz, apud Illustriss. Frider. Achill. Duc. Würtenb. *Consultat. de princip. provinc. Europ. Orat. cont. German fol. 814. lin. 16. & seqq.* Joan. Wolff. *lection. memorab. & recond. Cent. 12. ad ann. 1160. ex Chron. Saxon. Mansfeld. & Dodech. fol. 379. & seq.* Christ. Lehman Speyer. Chron. *lib. 4. cap. 2. & lib. 5. cap. 4.* Unde, nihil ineptius hoc uno, ab ineptissimo scribi potuisse, scribit Marq. Freher. *No*. ad Petr. de Andlo de Imp. Rom. lib. 2. cap. 10. verb. illud insigne privilegium.*

(e) Adolphus Nassaviensis Moguntiæ ab Electoribus regno demigrare jussus est. Joann. Naucler. *Chronograph. gener. 44. vol. 2 edit. Colon. de anno M. D. XLIV. fol. 867.* Ita Electores Wenceslai depositionem Francofurti, à Ruperto Electore Palatino eò convocati deliberarunt & concluserunt, Christ. Lehman Speyer. Chron. *lib. 7. cap. 59.* Lonstenii verò sententiam pronunciarunt & publicarunt, uti ejusdem exemplar testatur, quod habetur apud Melch. Goldast. latinè *Statut. & Rescript. Imper. vol. 1. fol. 139. cum seq.* & germanicè in Reichs Satzungen. *par. 1. fol. 158. cum seqq.* Exempla, præter hæc, plura & posteriora non occurrunt. Quia verò Imperator Francofurti eligitur, A. B. *tit. 1. § hujusmodi. §. cum autem. cum §§. seqq tit. 2. per tot. & passim.* Aquisgrani autem coronatur, in memoriam magni Imperatoris Caroli I. qui ibi creber mansit, ibiq; tumulatus tubam expectat novissimam, uti habet Alb. Krantz. *Saxon. lib. 8. cap. 21. in pr.* (nisi circumstantiæ emergentes locum alium suadeant aut jubeant: cujus rei exempla quā plurima habemus) existimarem vel hic, vel ibi degradationem etiam commodissimè institui posse vel quoq; debere, *arg. §. fin. Instit. quib. mod. tollit. oblig. l. nihil. 35. ff. de R. I.*

(f) In pomario vici Rhenosei, Im Baumgarten zu Rens in der Pfaltz / bey eilff Meilen vnter Maintz / an den Gestaden deß Rheins / allda der Keyser-Stul ist: uti attestantur quam plurima in panegyricis Imperii conventibus tractata, deliberata, conclusa & promulgata, quæ literis consignata ad nos transmisit venerandæ antiquitatis solertia.

tia. Locum autem illum propterea fuisse electum, aliqui observaverunt, quod ibidem sonantis tubæ clangor à quatuor Rheni Electoribus in propriis singulorum terris exaudiri possit: Moguntino in Lonstein; Treverico in Capella, Coloniense in Rhenisse, & Palatino in Braubach. Marq. Freher. *Not. ad Petr. de Andlo de Imp. Rom. lib. 2. cap. 2. verb. evocare ad oppidum.* Quæstiones per saturam huc refero subsequentes.

QUAEST. I.

AN Majestatis jura descripta contineantur illo biblico textu, qui legitur *1. Samuel. 8, v. 11. & seqq.*

Opinio illorum, qui textum illum de Regum gentilium facto, & more seu consuetudine, non etiam de jure divino loqui affirmant, mihi arridet. Atenim, ut magis constet, quomodo Theologi, quos eadem opinio possidet, locum istum interpretentur, placet, ex maximo numero, trium solummodò interpretationem, ipsissimis verbis, quibus utuntur, huc transscribere. Primus itaque sit Venerabilis Beda, qui ita scribit ad verba *Hoc erit jus Regis &c.* Non qualis esse debeat moderatus ac justus Imperator exponit, cujus & in plerisq; scripturæ sanctæ locis, & maxime in Deuteronomio perfectio docetur; sed potiùs Rector improbus, qui austeritate subjectos sit oppressurus, intimat. Deinde Lucas Osiander *ad verb. contestare eos &c.* publicam protestationem interpone. *ad verb. jus.* (Hebraicè, judicium) *Regis qui regnaturus &c.* Commemora illis, qui soleant esse ferè Regum mores, quomodo soleant subditos tractare, Was etlicher Könige/Fürsten vnd Herrn gebrauch sey (judicium, enim hoc loco, ut & aliis quibusdam scripturæ locis, morem, vel modum significat, quo aliquid fieri solet) Describentur autem paulò post Regis mores, non qui ipsum deceant, sed qui Monarchis ut plurimum sint familiares. Idq; facit Samuel, ut populus vel commemoratione periculorum & onerum à stulto consilio petendi Regis desistat, vel certè postea sibiipsi suas calamitates acceptas ferat. Denique Daniel Cramerus ad *verb.* Das wird deß Königes) Das ist ein guter freund/der einen für seinen schaden warnet. *Ad verb.* Recht sein) Es ist Zweyerley recht/ Eins das im grunde/ vnd an Ihm selbst recht ist/ vnd ist juris. Ein anders/ das

Jhm mancher selbst für recht helt/ vnd heist facti. Also meinen etliche Fürsten vnd Potentaten/ es sey alles recht/ was sie nur thun/ vnd jhnen gelüstet. Videantur Alph. Tostat. *Comm. ad 1. Reg. 8. quæst. 19. & seqq.* Joan. Gerhard. *Locor. theolog. de Magistr polit. to. 6. cap. 5. sect. 1. n. 125.* Wolffg. Franz. *de interp sacr. scriptur. orac. 126. fol. 1299. & seqq.* Watem. de Ehrenb. *verisimil. Theolog. Jurid. polit. de Regni subsid. ac onerib. subditor. per tot.* Joan. Bodin. *de Republ. lib. 1. cap. 10.*

QUAEST. II.

AN Imperator Primarias preces petentibus concedens, proprio suo jure, quod per electionem consequitur, utatur?

Affirmantium in conclave veritatis maiestas me non ducit, sed trahit. Etenim Ecclesiasticas dignitates omnes ab Imperatoribus Regibusq; Romanorũ peti olim oportebat. Hi Papã ipsũ eligebant aut cõfirmabant: Clerici omnes sub horum imperio & manu vivebant. Cuius rei documenta plurima in historiis extant, nec rara quoq; vestigia in ipso Canonico iure interlucent. Concessio etiam, de qua habetur *c. Hadrianus. 22. dist. 63.* non ut privilegium aliquod ex mera Pontificis gratiâ & liberalitate profectum accipi debet, sed tanquam hominis ultrò bonam fidem agnoscentis confessio. Franc. Duaren. *de Sacris Eccles. minister. ac benefic. lib. 3. cap. 11.*

Atenim, postquam Præsules Vaticani, qui fictitiæ Piscatoris Cathedræ incubant, primoq; tempore tantum presbyteri erant, post Episcopi, tum Metropolitani vel Archiepiscopi, deinde Patriarchæ, & tandem Pontifices Maximi effecti sunt: (quò quibus gradibus ascenderint, deducit Balthas. Meisner. *Philosoph. sobr. par. 3. sect. 2. cap. 1. quæst. 3.*) Imperatores, à quibus opibus atque honoribus, ab homine non expetendis aucti, & paulò infra Deum adorati erant, compulerunt, ut à iure suo quàm longissimè, fermè dicerem, penitus, recederent, sibique illud resignarent. Jst also/ der zuvor gedienet/ vnd vnderthan gewesen/ seinem Herren zu Haupten gewachsen/ vnd sein die Stül auff die bänck gestiegen: uti loquitur post Thegan. Christ. Lehman. *Speyer. Chron. lib. 5. cap. 67. in pr.* Interim Imperatores, Imperiales, Primariasvè preces tamen, tanquam certissimum augustissimi illius Ecclesiasticis in collationibus iuris quondum obtenti symbolum semper retinuerunt, & ad nostra usq; tempora conservarunt. His exceptis Papa Roma-

nus

nus Ecclesiastica beneficia, omnium fermè provinciarum per Cardinalem quendam ad id constitutum (Datarium vocant) hodie solus vendit. Christ. Besold. *de Ærar. cap. 6. n. 4. v. 1.* Sed nihil mirum.

Ordo sacer, baptisma sacrum, cum chrismate sancto,
venduntur turpi conditione fori.
Dives honoratur, pauper contemnitur, atq;
qui dare plura valet munera, gratus is est,

quemadmodum iam aliquot ante secula cecinit Theodoricus Uriæ, Augustinianus Minorita, Episcopus Croatiæ *de Consolat. Eccles. ad Imperat. Sigismund. lib.* 1. apud Joan. Wolff. *lection. memorab. & recondit. cent. 15. ad ann. 1409. fol. 745.* Hinc tritum & verum, quod vulgò circumfertur, natum est diverbium: Quod nihil magis difficile aut impossibile sit, quam Romæ præbendã sine argẽto obtinere, Et, Roma,

dantes exaudit, nil dantibus ostia claudit.

Quod sanè Diabolo, Principi tenebrarum displicere non potest, uti epistola, de non Apostolicis quorundam moribus, qui in Apostolorum se locum successisse gloriantur, à Nicolao Orem edita testatur, quâ Diabolus inter cætera & hæc scribit: *Vos merito diligimus, vobis applaudimus: quia leges Simonis Petri negligitis, & legibus Simonis Magi amici nostri penitus adhæretis: ipsas tenetis ad unguem, & publicè exercetis in templo Dei vendentes & ementes spiritualia, contra Christi præcepta. Distribuitis beneficia & honores aut prece aut precio, aut pro turpi servitio seu favore: & Ecclesiasticas dignitates, reprobando dignos, & indignos promoventes; utpote, ganeones, lenones, & ignaros vestros nepotes, aut filios proprios ad Christi hereditatem evocatis, ut sanctuarium Dei hereditariè possideatis, & uni puero multas confertis præbendas, quarum minimam pauperi probo denegatis* &c. Epistola incip. *Lucifer. Princeps.* &c integra legi potest apud Joan. Wolff. *lection. memorab. & recondit. cent. 14. ad ann. 1364. fol. 654. & seqq.* Videantur Matth. Steph. *de Idict. Rom. Imp. lib. 3. par. 1. cap. 4. n. 17. & seqq.* Tob. Paurmeist. *de Idict. Imp. Rom. lib. 1. cap. 4. n. 41. & seqq.* Joach. Cluten. *Syll. rer. quotid. concl. 19. per tot.* Rest. Castald *de Imperat. quæst. 160. n. 14. & seqq.* Henr. Andr. Cran. *de Pace Relig. par. 1. probl. 4. per tot.* Theod. Reinking. *de Regim. secul. & Eccles. lib. 3. cl. 1. cap. 9. n 49. & seqq.*

AN Regale & Non regale feudum juxtà alteri per subinfeudationem concedi atq; tradi queat?

Quæstionem hanc exenterandam mihi offerunt quædam, superius dicta *concl. 4. lit. c.* Quibus apponi possunt, quæ pro meâ opinione, quam ibi nutrio, scribit Theod. Reinking *de Regim. Secul. & Eccles. lib. 1. cl. 4. cap. 14. n. 34. & seqq.* Cæterum responsioni ad formatam quæstionem reponendæ præmitto, & præsuppono, Vasallum, etiam sine domini sui consensu, feudum, quod habet, sive in partem, sive in totum, alteri in feudum concedere posse: post Alvarot. Afflict. Bald. & alios allegatos Lud. Schrader. *tract. feud. par. 8. cap. 2. n. 10.* Guil. Hanneton. *de jure feudor. libr. 3. cap. 10. in princ.* Henr. Bocer. *de Investit. feudi cap. 3. n. 121.* quod Subfeudum, Excadentiam alii, nostrates Afftterlehen vocant: Joan. Zabel. *Feudal. exerc. 5. concl. 1. lit. b.* Necesse tamen est, ut tres hæ conditiones, sive, ut vocant, requisita concurrant: I. ut is, cui confertur, paris, aut etiam melioris conditionis & qualitatis sit cum Vasallo, sed non minoris: II. ut non aliis legibus & pactionibus subvasallo detur, quam concedenti est collatum: III. ut syncerè & remotâ fraude fiat, hoc est, ne occulta venditio, vel aliud quid in domini fraudem immisceatur. Joach. Mynsing. *sing. obs. 62. n. 4. cent. 1.* Thom. Lindem. *Feudal. exerc. 3 cap. 8. th. 24 & seqq.* Et ita ad quæstionem ipsam accedens, profiteor, illâ in hæresi me hærere, quod Regale feudum etiam integrè alteri subfeudari non prohibeatur. Textus enim generaliter & sine ullâ distinctione de subfeudatione loquentes invenimus *c. un. §. sed etiam res. vers. per feudum. 2. FF. 3. c. un. in pr. vers. si verò. 2. FF. 9. c. un. §. beneficium. 2. FF. 26. c. un. §. similiter. 2. FF. 34.* Cum itaq; generalis regula inde formari possit, *arg. l. 1. ibi: sed ex jure quod est &c. ff. de R. I.* tenaciter illi inhærendum, donec exceptio probetur: *arg. c. venerabilibus. 7. §. pen. de sentent. ex commun. in 6.* Etenim, secundum regulam semper est pronunciandum, nisi ab adversâ parte doceatur, casum, de quo controvertitur, esse unum de exceptuatis: post Bald. Schurff. & alios Matth. Coler. *de Process. execut. par. 1. cap. 2. n. 211. & seqq.* Philip. Matth. *ad l. 1 n. 33. & seq. ff. de R. I.* Deinde, inde etiam evadit, quod, si inter ista feuda, hoc casu, distingui deberet, juris feudalis autores tam nobilem, tamque notabilem distinctionem silentii aulæo non fuissent obvolu-

turi. Ignorare siquidem haut potuerunt, quod quasi neglecta videantur, quæ notabiliter fiunt, sed specialiter non notantur. *l. item apud. 15. §. ait prætor. 25. ff. de injur. & famos. libell.* Joann. Harpr. *ad pr. n. 14. Instit. de vi bonor. rapt.* Accedit, quod vix prægnans ratio in apricum proferri valeat, quare feuda, queîs de mihi sermo est, subfeudari non debeant. Unde sequitur quod neq; lex, ejus subfeudationem vetans ferri potuerit: cum hanc sine illâ constituere, non minus impossibile sit, quam corpus, quod anima dereliquit, vivere: *l. cum mulier. 47. ff. sol. matrim. dos quemadm. petat. c. consuetudo. 5. §. nec refert. dist. 1.* Udal. Zas. *cons. 1. n. 49. lib. 1.* Hinc etiam jus, quod sine ratione est (quanquam ego non adducar, ut credam, tale jus ullum dari) asininum appellitur Rob. Maranta *de ord. judicior. par. 3. n. 102.* Videantur Bald. *ad auth. & qui jurat. C. de bon. autorit. judic. possid.* Henr. Rosenth. *Synop. tot. jur. feud. cap. 9. concl. 44. n. 10. & concl. 45. n. 4.* Andr. Kohl. *de Subfeud. cap. 1. n. 7. & seqq.* Idem *ibid. cap. 2. n. 8. & seqq.* Herm. Vult. *de Feud. lib. 1. cap. 10. n. 80.* Joan. Zabel. *Instit. feudal. exerc. 5. concl. 2. lit. e.*

EXODIUM.

SOlent architecti, ædibus jam exstructis, supremæ compactionis particulæ coronam imponere, indicaturi, totius structuræ machinam nunc esse absolutam. Ego, pollicitationi meæ, in hujus philyræ exordio, de ordine hic observando factæ, satisfacturus imitari & colophonem adjicere cogor. Atenim qualem? aptiorem magisq; quadrantem, uti mihi videtur, non potero, quàm modos, queîs ab Imperii Provisoribus pótestas, quâ intra interregni metas, potiuntur, vicissim avocatur. Duo autem tantum sese mihi offerunt, cum Imperium etiam dupliciter, puta, verè vel quasi vacare, atque ita illis Imperatoris potestatem vicariam præsentare soleat.

Vera vacantia tripliciter quidē cōtingit: Imperatoris nimirū obitu, renunciatione & exautoratione: sed unâ Regis Roman. electione tollitur: quâ peractâ Provisorum potestas expirat. *arg. l. meminisse. 10. in pr. ff. de offic. proconsul. l. si fortè. 17. ff. de offic. præsid.* Sed quia verba cum effectu sunt accipienda *l. 1. §. fin. ff. quod quisq; jur. in alium stat. ut ipse eod. jure utat.* superfluum est monere, quod acceptationem à parte electi intervenientem simul includam: maximè, cum potiùs nominatus, quàm electus, dici debeat, antequam electionem de se factam

receptat. Rest. Castald. *de Imperat. quaest.* 17. *n.* 10. Deinde, si electus fortean extra Germaniæ limites degat, ejus adventum quoq; comprehendo. Etenim Imp. Caroli V. tempore ita observatum fuisse, in apricum profert Joan. Sleidan. *Comment. de statu Relig. & Reip. sub Carolo V. Caes. lib.* 1. *edit. Argent. de anno M. D. LV. fol.* 15. *& seqq.* Coronationem, præter hæc quoque requirere videtur Flor. de Venning inter Claud. Cantiunc. *cons.* 16. *n.* 185. *&* 194. Verùm vero magis conformia tradunt, docentes Imperatorem solâ electione ritè & legitimè perfectâ potestatem suam adipisci. Alb. Krantz. *Saxon. lib.* 9. *cap.* 15. Joach. Cluten. *Fasc. error. Thalm. Pontif. err.* 28. *per tot.* Mich. Ulcurrun. *de Regim. mundi par.* 2. *quaest.* 1. *n.* 15. *& quaest.* 2. *n.* 40. Theod. Reinking. *de Regim. secul. & Eccles. lib.* 1. *cl.* 3. *cap.* 7. *&* 8. *per tot.* Unde, Imperatorum plurimi, coronationis actum scientes prudentes omiserunt atq; neglexerunt. Imo in Ferdinando I. Maximiliano II. & Rudolpho II. Imppp. etiam coronationis solennitatem, quæ Aquisgrani ab Archiepiscopo Coloniense adhiberi solet, prætermissam fuisse; refert Tob. Paurmeist. *de Jdict. Rom. Imp. lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 3. Meritò itaq; in Imp. Caroli V. nec non Francisci I. Galliæ Regis Legatorum conventu, Caleti anno 1521. instituto, Regis Legatis præcedere volentibus, quia Carolus V. electus quidem, sed non dum confirmatus esset, Electi Imperatoris Legati sese opposuerunt, sibiq; primas deberi contenderunt: cum plenam ac liberam potestatem ex electione habens, confirmatione haut indigeat. Regn. Sixtin. *de Regal. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 13.

Quasi vacantia, quæ Imperatoris abitu & absentiâ introducitur, reditu & præsentiâ eiusdem cedere iubetur. Limitata enim causa non nisi limitatum effectum producere novit, *arg. l. in agris.* 16. *ff. de acquir. rer. domin. l.* 1. *§. si insula.* 6. *ff. de fluminib. ne quid in flum. publ. ripavè ejus fiat, quo peius navig.* Nec in causato plus virtutis esse potest, quam procedit ab influente potentiâ causæ. Lib. Baro Hohenecc. *de privileg. parent. & liber. privil.* 14. *par.* 1. *cap.* 12. *n.* 13.

Atque ita, cum Deo, hic mihi pausa & finis: quem faciens annecto votum, in solennibus Ecclesiæ conventibus olim frequentatum; *Multos annos Augusto; multos annos Augustæ; multos annos Senatui.* Sive, *Imperatori precor vitam prolixam,*

Impe-